DISQUISITIO PHILOSOPHICO-HISTORICA DE LEGIBUS, LIBERTATIS...

Janus Gerardus Hulleman

DISQUISITIO
PHILOSOPHICO-HISTORICA
DE
LEGIBUS,
LIBERTATIS CIVILIS
VINDICIBUS.

DISQUISITIO
PHILOSOPHICO-HISTORICA
DE
LEGIBUS,
LIBERTATIS CIVILIS
VINDICIBUS,

AUCTORE
J. G. HULLEMAN,
PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. IN ACAD.
RHENO-TRAJ. CAND.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT
D. XVI. M. MARTII A. MDCCCXXXVII.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD JOH. ALTHEER,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.
MDCCCXXXVII.

Fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et veniae spes est et paratus favor, et audere non dedecet; et, si quid desit operi, supplet aetas; et, si qua sint dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.

QUINCTILIANUS.

PRAEFATIO.

Dici vix potest, Viri Clarissimi! quanta me, lectâ quam in certamine Literario hoc anno proposuistis Quaestione, ceperit continuo Commentationis conscribendae cupido. Invitabatur enim studiosa in patria nostra juventus, ut „*ex antiquae Politicae principiis, atque ex ipsa civitatum antiquarum historia, effatum explicaret Veterum, quod apud Ciceronem est pro Cluentio, c.* 53: „Legum omnes servi sumus, ut liberi esse possimus."

Et

Et profecto non potest non ejusmodi quaestio jucundissimam simul et utilissimam praebere disserendi materiem. Non enim uno quodam continetur definitoque antiquitatis loco, sed totam omnino ipsam complectitur, ut haud facile alterum reperias disputationis argumentum, quod et tam latum exhibeat laetumque campum, in quo perscrutandi studio indulgeas, et pariter in interiore antiquitate verseris.

Haec igitur causa maxime fuit, cur mihi adeo arrideret laudata quaestio et certaminis ineundi propositum animo meo statim volvere inciperem; sed altera mox accessit. Laus honosque, (fatebor enim) quae comitari fere juvenem solent ex ejusmodi ludo palmam ceteris certatoribus praeripientem, haud levis mihi ad respondendum stimulus exstiterunt. Adeo verum est, quod apud Platonem effatur in *Politia* Socrates: „Ἀσκεῖται τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον."

Ne

Ne tamen existimetis, Viri Clarissimi! leviter me et audacter gravissimum argumentum fuisse aggressum; bona verba, quaeso. Si cui, mihi certe plane est persuasum, quanta sit, sive quis doctrinae meae animadvertat copiam, sive orationis elegantiam et bonitatem, virium mearum imbecillitas. At vero non doctis viris, qui in literarum studio quasi tabernaculum vitae suae posuerunt, Vos certandi campum aperuistis; sed juvenibus, artium ingenuarum studiosis, ut idonea ipsis exhiberetur cum studii alendi tum virium periclitandarum occasio. Quae quum reputarem, factum est ut alacrius ad rem tractandam me accingerem manusque operi admoverem; in quo qua ratione versatus sim, vix opus est ut dicam. Ipsi antiqui viae mihi fere duces fuerunt, quam egregio quorundam inter recentiores lumine illustrare interdum, operae pretium fore putavi.

Iam vero, Vos, Viri Clarissimi! certaminis hu-

jus

jus arbitri, legite et dijudicate, quae equidem ad propositam quaestionem respondenda duxi. Vestram autem indulgentiam cur magnopere implorem? Nam aequitate, non gratiâ duci in judicio ferendo soletis. Quapropter si forte doctiori cuidam et elegantiori commilitonis disquisitioni victricem palmam decreveritis, infeliciora quidem, sed justa tamen mihi evenisse credam.

DISQUISITIONIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

EXPONITUR ANTIQUARUM CIVITATUM ORIGO ET NATURA.

SEC-

SECTIO PRIOR.

EXPLICATUR NOTIO ET NATURA TAM LEGUM QUAM LIBERTATIS.

CAPUT I.

DE LEGIBUS.

CAPUT II.

DE LIBERTATE.

SEC-

SECTIO POSTERIOR.

AGITUR DE RATIONE, QUA VINDICATUR LIBERTAS.

CAPUT I.

EXPLICATUR RATIO, QUA VINDICATUR *HOMINI* LIBERTAS.

CAPUT II.

EXPLICATUR RATIO, QUA VINDICATUR *CIVI* LIBERTAS.

§. 3.

CAPUT III.

EXPLICATUR RATIO QUA CIVI *TOLLITUR* LIBERTAS.

DISQUISITIONIS
INTROITUS.

EXPONITUR ANTIQUARUM CIVITATUM ORIGO ET NATURA.

Ne ipsa jam contemplanda quaestione abreptos nos in medias res continuo sentiamus, haud abs re videtur in disquisitionis hujus exordio universe quasi per introitum exponere antiquarum civitatum tum originem tum interiorem conditionem. Sic enim facillime progredi deinceps nobis licebit consultumque multis erit partibus ceterae disputationis ordini ac perspicuitati. Quocirca ipsorum maxime veterum vestigiis insistentes, qua ducant illi via; eâ nos sequamur.

§. I.

De origine antiquarum civitatum.

Quae prima fuerit hominum vivendi ratio, optime exponit in libris *de Legibus* Plato. Refert eâ nativam prorsus simplicitatem. „Vitam homines de-

degebant, κατὰ μίαν οἴκησιν καὶ κατὰ γένος διεσπαρμένοι. Vivebant igitur πατρονομούμενοι et, patris matrisque obsequentes imperio, avium gregis instar vagabantur. Deinde vero majores urbes condentes, plures in eundem locum conveniebant et ad agriculturam se in montium primum convertebant convallibus, et septa quaedam e congestis lapidibus, tanquam murorum propugnacula, ferarum causâ conficiebant, unam constituentes communem magnamque domum" (1). Uti autem familiae illae excoli procul dubio coeperunt mutuis celebrandis sacris festisque, ita etiam inde merito repeti solent prima societatis civilis initia. Ubicunque aedes sacrae exstabant et templa, illuc congregabantur facile gentes, ut, sacrificiis festo tempore communiter peractis, cum communibus interessent sacris, tum una se festivae hilaritati darent. Nec profecto mirum. Minus excultis hominibus, pariter ac pueris, festo die nihil esse potest acceptius; sed simul ad amicitiam connectendam nihil magis est idoneum. Gaudium et laetitiam omnia spirant, nullus est inimicitiarum locus. Factum autem communibus illis sacris, ut περικτίονες haberentur familiae, templorum viciniam tanquam habitationis locum imprimis appetentes. Similis res Romae initia confirmavit. Sacrum asylum patefecisse fertur Romulus, quod plurimi continuo petebant, in quo sedem deinde suam collocarent. Ita in Graecia quo-

(1) Plato, *de Legg.* Lib. III. p. 680. E. 681. A.

quoque accesserunt olim familiae et tribus sacro illo vinculo ad conjunctionem et societatem. Quum autem sensim ad majorem ingenii cultum pervenerant, tum quod prius peregerant naturae impulsu, id fecerunt tandem rationis ductu mentisque, ut ipsi societatis studio imprimis obsequerentur et ad civilem conjunctionem sese applicarent (1). Sed juvat haec accuratius attendere.

Quemadmodum universe in humanam societatem maximam exserere vim solet mirum illud, quo fere omnes ducimur, amicitiae et societatis studium, ita in civilem quoque hominum conjunctionem tantam aliquando auctoritatem exercuisse videtur, ut repeti inde antiquarum civitatum origo et incrementa multis partibus possint. Licet enim plura jam ab antiquis memorentur civitatum initia, per se haud spernenda (2), vel sic tamen vi sua tantum non destituta fuisse videantur, nisi accessisset studium illud societatis, communionis et amicitiae, homini naturâ proprium et veluti innatum, quod scilicet vel

(1) Vid. omnino Cl. van Heusde, *Diatr. in Civ. ant.* p. 2. sqq.

(2) Memorat v. c. Plato *indigentiam*, *de Rep.* Lib. II. p. 369. B., *de Legg.* Lib. III. 680. D.; Polybius *hominis imbecillitatem*, Lib. VI. c. 5; Cicero *utilitatis spem et securitatis*, *de Off.* Lib. II. c. 21. Imbecillitati autem et vitae necessitati tanquam civilis societatis initiis adversatur Cicero, *de Rep.* Lib. I. c. 25., *de Off.* Lib. I. c. 44., qui contra vim laudat hac in re *philosophiae*, *Tusc. Quaest.* Lib. V. c. 2., et *eloquentiae*, *de Orat.* Lib. I. c. 8., *de Inv.* Lib. I. c. 2.; de quo vid. Mitscherlich ad Horat. *Carm.* Lib. I. Od. 10. init.

vel solum tantâ videtur facultate instructum, ut, quamvis hominem ad communitatem ineundam nihil aliud instigaret, is prae natura sua, omnem fere solitudinem aversante, ultro aliorum esset et communionem et amicitiam appetiturus. „Quod nemo," ait Cicero, „in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia; facile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos. — Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cujus ea utilitatis causâ habeamus: sic inter nos naturâ ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus" (1). Sponte nostrâ societatem civilem et conjunctionem appetimus, „φύσει ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τὴν τοιαύτην κοινωνίαν" (2). Tale quid cetera animantia fere ignorant. Coeunt quidem ista ac conjunguntur, sed ut firmam ineant stabilemque communionem, hoc ipsis natura negavit. Homini tantum id datum est. Hunc participem rationis et orationis natura ad diuturnam rectamque ineundam societatem et informavit idoneum et a primis inde temporibus instimulavit. Multus imprimis Aristoteles est in vi laudanda, qua valet natura ad hominem cum homine consociandum, ut adeo πολιτικὸν ζῶον (3) suapte na-

(1) Cic. *de Fin.* Lib. III. c. 20. Cff. *de Off.* Lib. I. c. 4., c. 16., c. 44.

(2) Aristot. *Politic.* Lib. I. c. 1. §. 12. ed. Schneid.

(3) l. l. Lib. I. c. 1. §. 9.

natura hominem esse statuat. Fuit hoc naturale hominis studium, quo antiquitus gentes, sacris festisque satis excultae, duci ad civilem communitatem coeperunt. Adsunt primum familiae, quae patris veluti principis cujusdam imperium sequentes suas quaeque aedes habitant, donec plures in eundem locum conveniant. Tum oritur vicus, e pluribus vicis urbs (1). Familiae autem istae simul etiam sua sacra afferunt, instituta, mores. Inde communis in nova civitate cultus Deorum, communia inde instituta, communes item leges (2). Ita autem, singularum moribus et institutis receptis, coalescunt tribus et familiae, ut unam gentem, unum populum, unam denique civitatem efficere incipiant. Tum enim sacris istis, quibus antea conjungi quodammodo coeperunt, ad eam perveniunt conjunctionem, quae legum constare auctoritate censeatur. Vetus autem illud sive sacrum vinculum manet quidem, sed novum sive politicum haud minori vi et efficacitate accedit. Tum exsistunt comitia et forum, tum senatus et curia, tum singuli communi civitatis causae consiliis factisque communiter consulere amant (3). Veruntamen, quod egregium est apud Platonem in Protagoreâ de Prometheo et Epimetheo fabulâ monitum, ut firma illa sit ac stabilis civium conjunctio

(1) Cf. Aristot. Lib. I. §. 4-8., quique eum secutus esse videtur Cic. *de Off.* Lib. I. c. 17.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. III. p. 681. A.-C.

(3) Vid. Cl. van Heusde, l. l. p. 16. sqq.

ctio majus quid requiritur. Ceteroquin enim fieri aliter vix potest, quin mutuis se caedibus interimant cives, novaque civitas prae ipsorum civium discordia celeriter exstinguatur. Quale autem illud sit quum Platone disertius explanare nequaquam possim, *ex hoc Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.*

Dicitur igitur in fabula illa humanum genus, misere Epimethei negligentiâ affectum, accepisse a Prometheo *τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρὶ*, *artis facultatem cum igne.* Qua facultate eximie ornati homines continuo aedes sibi struere aliaque parare, in urbibus habitare adeo instituebant. Verum prae artis civilis defectu aliis alios laedentibus, denuo disjuncti et dispersi, a feris plerumque dilaniabantur, propterea quod ubivis illis erant infirmiores. Tum vero Jupiter, de nostro genere metuens, ne totum periret, Mercurium de coelo misit, qui ad homines adduceret „*αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί.*" Rogabat autem Mercurius Jovem, quo tandem modo utramque hominibus daret. „Πότερον", inquit, „*ὡς αἱ τέχναι νενέμηνται, οὕτω καὶ ταύτας νείμω; νενέμηνται δὲ ὧδε· εἷς ἔχων ἰατρικὴν πολλοῖς ἱκανὸς ἰδιώταις, καὶ οἱ ἄλλοι δημιουργοί. καὶ δίκην δὴ καὶ αἰδῶ οὕτω θῶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἢ ἐπὶ πάντας νείμω;*" Tum Jupiter: „Ἐπὶ *πάντας, καὶ πάντες μετεχόντων· οὐ γὰρ ἂν γένοιντο πόλεις, εἰ ὀλίγοι αὐτῶν μετέχοιεν ὥσπερ ἄλλων τεχνῶν. καὶ νόμον γε θὲς παρ' ἐμοῦ τὸν μὴ δυ-*

δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως" (1).

Vel fallor equidem, vel sponte animadvertimus quam egregie sit illud apud Platonem expositum. Rudiores homines, artis facultate instructi, aedes quidem aliaque sibi parant, sed civilem societatem inire nullo pacto possunt. Ubi vero ad majorem pervenerunt ingenii cultum, eo magis in iis sese explicat, cujus naturâ omnes sunt participes, *pudoris* et *justitiae*, boni justique sensus. Tum sanciuntur leges, ad boni justique normam exactae, tum in legibus cives unicum ponunt salutis vitaeque felicis praesidium; tum inter se naturâ ad amicitiam compositi, mutuae harmoniae ac concordiae student, mutuam amicitiam eo magis colunt et exercent. Hoc igitur modo quum *naturâ simus apti ad coetus, concilia, civitates* (2), quum *αἰδώς τε καὶ δίκη*, si quid aliud, ut perduret civilis societas necessario requirantur, merito statuendum mihi esse videtur, *principium antiquarum civitatum boni fuisse justique studium.*

Sufficiunt utique haec ad antiquarum civitatum originem indicandam. Quae enim interiorem spectant earum conditionem, separatim sunt exponenda, quo plenius porro Politicae apud antiquos vim et naturam percipiamus.

§. II.

(1) Plat. *Prot.* p. 320. C. – 322. D. – Fabulam deditâ operâ subtiliter in Commentatione explicuit doct. A. Ekker, Traj. ad Rhen. 1822.

(2) Cic. *de Fin.* Lib. III. c. 19.

§. II.

De civitatum antiquarum natura.

Itaque „coetus hominum sedem primum certo loco domicillorum causâ constituerunt; quam cum locis manuque saepsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt, delubris distinctam spatiisque communibus" (1). Fuerunt igitur civitates primum hominum receptacula, moenibus securitatis causâ cincta, quemadmodum hodieque etiam apud rudiores populos locum habere satis constat. Ubi vero homines sacrorum conjunctione ad civilem societatem maturi sensim facti erant, ubi in foro habebantur comitia, in curia rei communi consulebat senatus, ubi denique cuncti legum ac justitiae voci obtemperare haud detrectabant; tum sese politici exserebat maxime vinculi vis, tum demum rite constitutae exsistebant civitates. Ut igitur recte intelligamus, quod obtineat urbem inter et civitatem discrimen, tenendum est, referri *urbem* ad locum, tecta eorumque conjunctionem; *civitatem* dici de reipublicae constitutione ac de multitudine civium, qui sacro et politico vinculo continentur. Ex quo continuo efficitur dirutâ urbe exstare potuisse civitatem. Donec erant superstites cives, de ipsa civitate non erat

(1) Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 26.

erat desperandum. Exemplo nobis sint Athenienses, qui, monito Themistoclis urbe relictâ, naves conscendebant, ut navali proelio Persarum vim prosternerent. Quod nisi ipsis prospere cessisset, Sirin, in Italia urbem, sese contulissent novasque condidissent Athenas (1).

Itaque habitae sunt civitates „concilia coetusque hominum jure sociati" (2). „Est enim civitas juris societas" (3), seu potius „coetus hominum non quoquomodo congregatus, sed juris consensu et utilitatis communione sociatus" (4). Justi scilicet bonique sensu ac studio unice civilis societas contineri putabatur, prouti apte in Protagoreâ fabulâ declaratum esse vidimus. Αἰδῶ τε καὶ δίκην humano generi per Mercurium largitus est Jupiter. Utrâque virtute praeditus internam habet homo juris sive justitiae notionem, ut quid alteri debeat neque ignoret nec nolit illud in vita observare, ut *constantem* servet *et perpetuam voluntatem jus suum cuique tribuendi.* Hoc scilicet jubet innata illa justitiae vox. Sed pudorem etiam accepimus, boni studium, ut quod honestum rectumque sit et coleremus et veneraremur. Atque uti aliquando Tullio maximum ornamentum amicitiae tollere videbatur, qui ex ea tolleret *verecundiam* (5), ita hujus in ci-

(1) Herod. Lib. VIII. c. 62.

(2) Cic. *Somn. Scip.* c. 3., ad q. l. vid. Macrobius.

(3) Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 32. Cff. Lib. III. c. 21. & c. 23.

(4) l. l. Lib. I. c. 25.

(5) Cic. *de Amic.* c. 22.

civitate, quippe quae ex amicitiae studio quasi nata sit, vim et auctoritatem egregie agnoscere licet. Non ante morum probitate et aequitate civitas vigere putanda est, quam hoc in civium animis inhaereat et infixum sit, ut *τὴν ἐπὶ μὲν τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνην, ἐπὶ δὲ τοῖς καλοῖς Φιλοτιμίαν* perpetuo alere studeant, quum fieri non possit, ut sine his aut civitas aut privatus homo magna edat et nobilia facinora (1). Justitiâ igitur quum naturâ simus omnes praediti, id nobis in civili societate praestandum est, ut ne alteri vim injuriamve inferamus, dum nos vetat verecundia factis ei dictisve fieri invisos ejusque voluntatem a nobis abalienare (2).

Est autem civitas coetus non *juris* tantum *consensu*, ut e Cicerone novimus, sed *utilitatis* etiam *communione* sociatus. Ipsi communionis et societatis studio civitates antiquae primordia sua magnam partem debebant. In ipso autem civitatum flore manebat communio illa, imo vero florebant vigebantque communione civitates. „*Τὸ μὲν γὰρ ἕν τι εἶναι γένος ὁμόφωνον καὶ ὁμόνομον, ἔχει τινὰ Φιλίαν, κοι-*

(1) Plat. *Symp.* p. 178. D.

(2) Utramque virtutem conjunctam vide ap. Hesiod. *Opp. Dier.* vs. 192, 193.; Plat. *de Legg.* Lib. XII. p. 943. D.; Cic. *de Off.* Lib. I. c. 28.; Ovid. *Fast.* Lib. I. vs. 249. sqq.; Plutarch. *in Vita Thes.* c. 6. et *ad princ. indoct.* Vol. IX, ed. Reisk. p. 134.; Dion. Halic. *Ant. Rom.* Lib. VI. c. 36., qui tamen *modestiam* addit: „Αἰδώς τε καὶ κόσμος καὶ δίκη, ὑφ᾽ ὧν ἡ πᾶσα κοινωνία πολιτικὴ σώζεται." Alia scriptorum loca citat doct. Ekker, l. l. p. 31.

κοινωνὸν ἱερῶν ὂν καὶ τῶν τοιούτων πάντων" (1). Et vero, si ita de civitatum natura existimandum est, patet, ni fallor, concionibus olim constitisse maxime civitates. Non erat antiquitus civitas, quin forum illa et curiam haberet. In festis celebrandis communibus, communibus frequentandis concionibus, versabantur et Graeci et Romani. Tribus in conciones, principes in senatum conveniebant, communi consilio res civitatis curantes. Hoc autem modo quum domi communiter civitatis saluti prospicerent, foris eam communibus viribus contra hostium vim et injurias defendebant. Cives quisque suos quam maxime curabat, civitatis suae sive *κοινωνίας*, ut Aristotelica appellatione utar, unice sollicitus, ut vivere prorsus pro illa dici posset. *Τὸ μὲν γὰρ κοινὸν* existimabant *ξυνδεῖν*, *τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷν τὰς πόλεις* (2). Verbo, antiquae civitates, ut appellare eas fere amat Cicero, fuerunt *Respublicae* (3).

Fuit illa universa civium communio, quam celebra-

(1) Plato, *de Legg.* Lib. IV. p. 708. C., ubi paulo ante docuerat causam, cur in pejus rueret Persarum imperium, hanc esse, „*ὅτι τὸ ἐλεύθερον λίαν ἀφελόμενοι τοῦ δήμου, τὸ δεσποτικὸν δ' ἐπαγαγόντες μᾶλλον τοῦ προσήκοντος, τὸ φίλον ἀπώλεσαν καὶ τὸ κοινὸν ἐν τῇ πόλει*," Lib. III. p. 697. D. Aristoteles item *τὴν φιλίαν* appellat *μέγιστον τῶν ἀγαθῶν ταῖς πόλεσιν*, *Polit.* Lib. II. c. 1. §. 16.

(2) Plato, *de Legg.* Lib. IX. p. 875. A. Cff. *de Rep.* Lib. V. p. 462. B.; *de Legg.* Lib. III. 686. B.

(3) Vid. Cl. van Heusde, *Diatr.* p. 33, sqq.

bravit imprimis Plato, commendavitque tanquam civium concordiae adeoque civitatis felicitati saluberrimam. Iccirco ita comparatos cives esse voluit, ut nemo inter ipsos reperiretur, qui hoc *suum*, illud *alienum* diceret, sed omnes *κοινὰ τὰ φίλων* haberent. Nam „quemadmodum digito nostro dolente, non solum digitus ipse, sed totum corpus dolere videtur, sic bene constituta civitas, *ἑνὸς πάσχοντος τῶν πολιτῶν ὁτιοῦν ἢ ἀγαθὸν ἢ κακὸν, μάλιστά τε φήσει ἑαυτῆς εἶναι τὸ πάσχον, καὶ ἢ ξυνησθήσεται ἅπασα ἢ ξυλλυπήσεται*" (1).

Denique, ut hoc addam, ne quae recentiore aetate obtinuit de civitatibus opinione in errorem nos duci patiamur, longe profecto abfuit, ut *machinam* quandam veteres civitatem haberent (2). Hominum isti cogitabant societatem, unde in *Politia* sua Plato, uti unumquemque nostrum in se quasi civitatem continere existimabat et civitatem proponebat tanquam majorem hominem, ita humana etiam studia variasque cupiditates civitati adscribere solet. „Οἶσθ' οὖν", inquit, „*ὅτι καὶ ἀνθρώπων εἴδη τοσαῦτα ἀνάγκη τρόπων εἶναι, ὅσαπερ καὶ πολιτειῶν; ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι, ἀλλ' οὐχὶ ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν, οἳ ἂν ὥσπερ ῥέψαντα τἄλλα ἐφελκύσηται*" (3).

Haec

(1) Plat. *de Rep.* Lib. V. p. 462. C. D. Cf. Plutarch. *Vit. Solon.* c. 18.
(2) Vid. Cl. Heeren, *Ideën*, Vol. VI. p. 192.
(3) Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 541. D. E.

Haec si tenemus, rectam nobis informare possumus de antiquis civitatibus notionem recteque imprimis de politicâ earum ratione judicare, ad quam illustrandam nunc continuo pergamus.

§. III.

De Politicae apud veteres ratione.

Etsi quae de natura antiquarum civitatum hactenus disputata sunt, proprie quidem ad politicam ipsarum sint conditionem referenda, operae tamen pretium videbatur ea prius exponere, quo melius deinceps moralem imprimis Politicae vim ejusque omnino cum ethicâ conjunctionem perciperemus.

Vigebant igitur civitates antiquae civium maxime consensu et concordiâ, ut patriâ nihil ipsis esset amabilius. „Cari sunt parentes," ait Cicero, „cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?" (1). Fuit autem hoc Politicae in civitatibus antiquis proprium, ut cives fere unice civium rationem haberent, ceteros vero homines tanquam a se alienos mit-

(1) Cic. *de Off.* Lib. I. c. 17. Cff. hujus Lib. c. 45, *de Fin.* Lib. I. c. 7, Lib. III. c. 20; imprimis autem praeclarus Tullii locus, qui est in libris *de Legg.* Lib. II. c. 2, tum vero etiam quae apud Platonem disputat Socrates, *Crit.* p. 51. A. sqq.

mitterent. Respiciebant unice κοινωνίαν suam. In omnes, qui cives non essent, crudelissime saevire licebat. Inde servitus, quae perquam apud eos invaluit, humanitati illa prorsus repugnans, ut a domini voluntate penderet, utrum liber quis evaderet, necne. Quodsi apud Graecos libertate servus donabatur, is ad inquilinorum fere referebatur numerum. Romani vero majore hac in re humanitate usi sunt, quum servos manumissos cum plena libertate, tum civitate etiam donarent, ut civium adeo gauderent jure atque honoribus. Jus autem civitatis antiquitus, optimâ certe aetate, summum habitum fuisse honorem, non est quod moneam (1). Longe sane alia ratio est, quae hodie apud gentes recentiores obtinet. Verum erant etiam antiquae civitates longe a nostris genere diversae, quippe quae ex communionis et societatis studio originem suam imprimis repeterent. Hac ipsa deinde communione vigorem suum floremque et parabant et paratum retinebant, quo sponte factum, ut κοινωνοὺς suos unice etiam curarent et amore prosequerentur. Sed vel sic tamen habet veterum Politica, quo se nobis imprimis commendet, quodque pleniore expositione omnino dignum videatur.

Effici haec Politicae antiquae praestantia jam quodammodo potest ex modo laudata Platonica narratione, quae

(1) Subtiliter de eo disputat Cl. van Heusde, *Diatr.* p. 51. sqq.

quae uti civitatum, ita Politicae etiam originem egregie exponit. Erat nempe veterum Politica tam arcto cum religione ac morum doctrina vinculo conjuncta, ut tota ethicâ nisa fuisse dicenda sit (1), primaria adeo utriusque virtutis nomine *σωφροσύνης τε καὶ δικαιοσύνης* apud Platonem appelletur (2). Videbatur autem „*ἡ αἰτία τοῦ ὀρθῶς πράττειν ἐν τῇ πόλει καὶ ἀτεχνῶς κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον μόνη ἐν τῇ πρύμνῃ καθῆσθαι τῆς πόλεως, πάντα κυβερνῶσα καὶ πάντα χρήσιμα ποιεῖν*" (3).

Toto igitur coelo haec Politicae ratio ab eâ distat, quam recentiore aetate quidam inter politicos commendarunt. Hi enim doctrinam profitebantur, qua Politicam *arte populi regundi* contineri statuebant, unde ars haberi coepta est, qua quis aliis imperet suamque firmet auctoritatem. Fit ita ut nomen illud plerumque sensu accipiamus minus nobili et calliditatem, fraudem, quidquid denique sit subdolum falsumque hac ipsa voce intelligamus. Disjungatur autem ita Politica a doctrina morali necesse omnino est, si scilicet civitatum rectores parum curant, utrum juste agant an vero injuste. Fuit haec Machiavelli imprimis sententia, qui *artem civilem, ne in optima quidem civitate cum vir-*

(1) Cernitur eadem quoque ratio in philosophia, postquam in partes suas distingui coepta est. Ea enim pars, quae Ethicae praecepta tradebat, simul etiam complectebatur Politicam.

(2) Plat. *Symp.* p. 209. A.

(3) Plat. *Euthyd.* p. 291. D. Cf. *Alcib.* II. p. 145.

virtute coujungi posse statuit (1); quod Itali placitum a Platonis et antiquitatis sententia prorsus discrepat. Quum enim Plato in *Republica* sua tam hominem cum civitate quam civitatem cum homine compararet, de virtute utriusque et felicitate egregiam item disputationem instituit, cujus summa huc redit, ut sine virtute hominem neque semet ipsum, neque civitatem ullo modo recte administrare posse demonstretur (2). „Nam civitas apud eum non hominum est multitudo, una in urbe communiter viventium, nec vero urbs est, moenibus cincta, arce munita, instructa portubus, templis denique et aedificiis ornata: *civitas* est *civium* constans mutua conjunctione, quorum moribus invalescit maxime" (3). „Οὐκ ἄν ποτε γένοιτο," ait, „ἐυδαίμων οὔτε πόλις οὔτ' ἀνὴρ οὐδεὶς, ὃς ἂν μὴ μετὰ Φρονήσεως ὑπὸ δικαιοσύνῃ διαγάγῃ τὸν βίον· ἤτοι ἐν αὐτῷ κεκτημένος, ἢ ὁσίων ἀνδρῶν ἀρχόντων ἐν ἤθεσι τραφεὶς τε καὶ παιδευθεὶς ἐνδίκως" (4).

Ex hac morali Politicae apud Platonem vi fluxit ejus de summo imperante in *Politia* sententia, quem ita comparatum esse volebat, ut virtutem non solum cognitam haberet, sed etiam tum factis exerceret ipse, tum subditos ad colendam virtutem

(1) Vid. Cl. C. Star Numan, *Diatr. in N. Machiavelli opusc.* del Principe *inscriptum*, P. II. p. 92.

(2) Vid. omnino Nob. de Geer, *Diatr.* in Polit. Plat. princ. cum passim, tum p. 125, sqq., 143, sqq.

(3) Verba sunt Cl. van Heusde, *Init.* Vol. III. p. 63.

(4) Plat. *Ep.* VII. p. 335. D.

tem informaret et impelleret (1). Inde Cicero: „Virtute gubernante rempublicam, quid potest esse praeclarius? Cum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati, cum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse; nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat; sed suam vitam ut legem praefert suis civibus" (2). Scilicet ea demum recta pulchraque existimabatur reipublicae administratio, si quis ita res civium procuraret, ut quam optimos ipsos cives efficeret (3). Non enim in rebus externis, sed in interna civium conditione civitatis felicitatem positam esse antiqui censebant. „Οὐκ ἄρα τειχῶν, (ita apud Platonem effatur Socrates) οὐδὲ τριήρων οὐδὲ νεωρίων δέονται αἱ πόλεις, ὦ Ἀλκιβιάδη, εἰ μέλλουσιν εὐδαιμονήσειν, οὐδὲ πλήθους, οὐδὲ μεγέθους, ἄνευ ἀρετῆς. — Εἰ δὴ μέλλεις τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὀρθῶς καὶ καλῶς, ἀρετῆς σοὶ μεταδοτέον τοῖς πολίταις" (4). Spernebant igitur divitias politici veteres, utpote civium virtuti labefactandae maxime idoneas. Cives enim secundum Platonem, „προϊόντες εἰς τὸ πρόσθεν τοῦ χρηματίζεσθαι, ὅσῳ ἂν τοῦτο τιμιώτερον ἡγῶνται, τοσούτῳ ἀρετὴν ἀτιμοτέραν. ἢ οὐχ οὕτω πλούτου ἀρετὴ

(1) Plat. *de Rep.* Lib. V. p. 473. D.

(2) Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 34. Cf. *de Legg.* Lib. III. c. 14.

(3) Plat. *Gorg.* p. 513. E.

(4) *Alcib.* I. p. 134. B. Cum hisce autem Politicae Platonis praeceptis optime Polybiana conveniunt, de quibus Vid. Cl. van Goudoever, *de hist. Polyb. laudibus*, p. 70 & 71.

τῇ διέστηκεν, ὥςπερ, ἐν πλάστιγγι ζυγοῦ κειμένου ἑκατέρου, ἀεὶ ἐπὶ τοὐναντίον ῥέποντα"; (1).

Factum hac Politicae cum Ethica conjunctione est, ut moribus servandis civitatem simul servari antiqui existimaverint.

„*Moribus antiquis res stat Romana virisque*"

cecinit Ennius, et quod ille de Romanis, id alii de civitatibus in genere professi sunt (2). Moribus crescebant et invalescebant antiquae civitates; sed erant illi ad temperantiam, justitiam, fortitudinem, patriae amorem, virtutem omnino compositi. Morum igitur integritati, ut firmissimo reipublicae praesidio, prospiciebant legumlatores, consulebant optimâ aetate magistratus, ut quod labefactare putaretur civium bonitatem et virtutem, id non arcere piaculum ducerent. — Sed haec et nunc satis sint et in reliquis diligentius tractabuntur, quare ad ipsam quaestionem accedamus.

(1) Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 550. E. Rem ex ipso Platone optime exposuit Nob. de Geer, l. l. p. 158. sqq.

(2) Nominasse sufficiat Plat. *de Legg.* Lib. imprimis VII. p. 797. B. sqq., ubi late hac de re disputat. Cicero Ennio ex animo assentitur *de Rep.* Lib. III. c. 19.; Lib. V. c. 1.

SEC-

SECTIO PRIOR.

EXPLICATUR NOTIO ET NATURA TAM LEGUM QUAM LIBERTATIS.

CAPUT I.

DE LEGIBUS.

> *Λογισμὸς, — ὃς γενόμενος δόγμα πόλεως κοινὸν, Νόμος ἐπωνόμασται.*
>
> Plato.

„ *Μακρὸν τὸ προοίμιον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκοῦσαι*"! Ita fortasse aliquis, disputatione hacce inspectâ, cum Glaucone apud Platonem exclamet. At teneat ille, quaeso, non eo me consilio haec praemisisse, ut ita inani uterer doctrinae quantulaecunque tandem ostentatione; sed imprimis, quod initio monui, ut rectius deinde de tota quaestione judicare possemus. Et sic quidem pervenimus sponte ad omnis civilis societatis vinculum *Legem*, de qua jam porro ita agere mihi liceat, ut postquam universe de legum natura disputaverim, qualis et sit et esse debeat, earum etiam in antiquis civitatibus rationem et auctoritatem singulatim exponam.

B 2 §. 1.

§. 1.

De lege ab antiquis proprie ita dicta.

Ubi nos *Legem* dicimus, solemus fere mandatum intelligere principis cujusdam aut scitum aliquod populorum, verborum certe formulam quandam (1), hominum excogitatam ingeniis et literis consignatam (2), quâ universus tenetur populus. Verae autem legis secundum antiquos politicos ratio longe aliter sese habet. Ab ipsa illam natura ducebant et proprie vocabant *naturae legem*, *aeternum quiddam*, *quod universum mundum regeret*, *imperandi prohibendique sapientiam.* Continebat lex illa e sententia antiquorum principia juris et fons habebatur limpidissimus, e quo omnes haurirentur humanae leges. Operae pretium est hac de lege audire cum Veterum universe, tum Ciceronis imprimis in libris *de Legibus* sententias.

Ci-

(1) Ita Ernest. *Ind. Legum*, init., ubi vocabulum *Lex* derivat a Graeco Λέγειν, Ciceronianam etymologiam a *Legendo* rejiciens. Sed recte observatum a Davisio esse ad Cic. Lib. II. *de Legg.* c. 5, voce *Legere* usum fuisse Tullium *eligendi* potestate, docet cons. E. C. d'Engelbronner, *disp. juris de loco Ciceronis qui est de Legibus*, quam defendit Praes. H. C. Cras, V. Cl. Amstelod. 1802, p. 29, qui item de Graeco nomine Νόμος omnino est consulendus.

(2) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 6., quo loco » Sed quoniam," inquit, » in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit et eam legem, quae scripto sancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus appellare."

Cicero igitur in laudato opere, juris disciplinae fontes et principia exploraturus, ordiendum esse censet a summa illa, quam dixi, *naturae lege*, ut neque hominum excogitatâ ingeniis et saeculis omnibus ante natâ quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta (1). Est autem lex illa ejusmodi, ut neque tolli neque abrogari unquam possit (2). Nascitur enim una cum homine, quum sit, „ratio summa, insita in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria" (3). Fit ita ut non uni alterive sit propria, sed uti cuique eadem (4), sic omnium sit commune bonum. „Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo et lex, quae est ratio in jubendo et vetando" (5).

Sed porro etiam audiamus Ciceronem. In causa Miloniana ad Judices sese convertens: „Est haec, Judices," inquit, „non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam

(1) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 6. cf. Lib. II. c. 4.

(2) Cic. l. l. Lib. II. c. 6.

(3) l. l. Lib. I. c. 6. — Pariter Stoici *νόμον σπουδαῖον* esse dicebant *λόγον ὀρθὸν ὄντα, προςτακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων*, ap. Stobaeum *Serm.* XLII. p. 278. — Eandem sententiam nunc video laudatam jam esse a Davisio, qui item duos confert Philonis palmarios locos *περὶ τ. π. σπουδ. ἐλευθ. εἶναι* p. 675. et de *Josepho* p. 414.

(4) Cf. Demosth. Orat. I. *Contra Aristog.* p. 790. ed. Reisk.

(5) Cic. l. l. Lib. I. c. 12.

quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus" (1). Alibi: „Est," inquit, „recta ratio imperandi atque prohibendi" (2), sive: „ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans: quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est. orta autem simul est cum mente divina. quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis" (3). Idem Plato quoque haud obscure annuere videtur, ubi pudor et jus homini naturâ propria dicuntur; neque minus is verae legis naturam in libris *de Legibus* clarâ in luce posuit ipsamque in hominis mente collocavit. „Λέγει δὴ καὶ νῦν", ait, „οὗτος ὁ λόγος ἀληθείᾳ χρώμενος, ὡς ὅσων ἂν πόλεων μὴ θεὸς, ἀλλά τις ἄρχῃ θνητὸς, οὐκ ἔστι κακῶν αὐτοῖς οὐδὲ πόνων ἀνάψυξις, ἀλλὰ μιμεῖσθαι δεῖν ἡμᾶς οἴεται πάσῃ μηχανῇ τὸν ἐπὶ τοῦ Κρόνου λεγόμενον βίον, καὶ ὅσον ἐν ἡμῖν ἀθανασίας ἔνεστι, τούτῳ πειθομένους, δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ τάς τ᾽οἰκήσεις καὶ τὰς πόλεις διοικεῖν, τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας Νόμον (4). Dominatur plane in laudato opere haec legis notio et pluribus eam locis enucleate exposuit. Ita postquam fuse de incesto illi-

ci-

(1) Cic. *pro Mil.* c. 4.

(2) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 15.

(3) Cic. l. l. Lib. II. c. 4.

(4) Plat. *de Legg.* Lib. IV. p. 713. E., 714. A. Cf. omnino Lib. I. p. 644. C. sqq., qui locus, quamvis plane eximius, tamen longior est quam qui hic exprimatur.

citoque amore in civitate non admittendo disputavit ejusque ostendit turpitudinem, sic deinde loqui pergit: „Τίς οὖν ἀνθρώπων τοῦτο ὂν τοιοῦτον νομοθετήσει; σχεδὸν οὐδεὶς, ἔχων γε ἐν τῷ νῷ νόμον ἀληθῆ" (1).

Patuit jam ex iis, quae e Cicerone et Platone hactenus congessi, divinam ab antiquis huic legi tributam fuisse originem. Vocatur inde a Cicerone „recta et a numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria" (2). Ulterius etiam processit Plutarchus in libello *ad principem indoctum*. Hic enim, commemoratis Anaxarchi verbis, quibus dixerat, Jus et Fas Jovi assidere, ita ea reprehendit, ut dicat: „Ὁ μὲν Ζεὺς οὐκ ἔχει τὴν δίκην πάρεδρον, ἀλλ' αὐτὸς δίκη καὶ θέμις ἐστὶ, καὶ νόμων ὁ πρεσβύτατος καὶ τελειότατος. οἱ παλαιοὶ οὕτω λέγουσι καὶ γράφουσι καὶ διδάσκουσιν, ὡς ἄνευ δίκης ἄρχειν μηδὲ τοῦ Διὸς καλῶς δυναμένου" (3). Itaque vel fallor equidem, vel jure Cicero ab hac sempiternâ divinâque lege juris principia ducenda esse putavit. Copiose iccirco, ut apparuit, in opere *de Legibus* eam illustravit et definivit; sed in libris *de Republica* quoque non intactam naturae legem reliquit. Fragmentum exstat apud Lactantium, quod plene laudatae legis vim et naturam explicat. „Est quidem," inquit, „vera lex recta ratio, naturae congru-

(1) Plato l. l. Lib. VIII. p. 836. E.

(2) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 28. Philipp. XI. c. 12. Cf. de *N. D.* Lib. I. c. 14. tum vero maxime *Digg.* Lib. I. Tit. III. §. 2.

(3) Plutarch. *ad princ. indoct.* Vol. IX. p. 123.

gruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus: neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit" (1). Neque silentio praetermittenda est eximia quae-

(1) Cicero, ap. Lactant. *Instit.* Lib. VI. c. 8. — Fuerunt qui Ciceronianam de naturae lege disputationem *totam* putarent haustam e Chrysippi Stoici *de Legibus* libris, quos inter imprimis Turnebus, in Comment. inserto edit. Davis. librorum *de Legibus*, p. 268. sqq.; quod docte explicat cons. d'Engelbronner, l. l. p. 24. sqq., qui et ipse Turnebi est sententiam amplexus. Videtur tamen Cicero, quemadmodum in plurimis suis scriptis, hoc quoque loco egregiam Platonis doctrinam non fuisse aspernatus; sed pariter e Platone profecisse atque e Stoicorum scriptis, qui item philosophiae suae principia ex eodem foute repetebant. Locum autem, quem prae ceteris secutus fortasse fuerit Tullius, modo memoravi e Platonis Lib. I. *de Legg.* p. 644. C. sqq. — Post, inspectâ doct. J. A. C. van Heusde, *de*

quaedam de naturae lege Maximi Tyrii sententia, quae, si qua alia, naturae legis indolem apte exponere videtur. Est illa hujuscemodi: „Ὁ δὲ νοῦς τὸ τιμιώτατον ἐν ψυχῇ καὶ ἀρχικώτατον, καθάπερ ἐν πόλει νόμος, οὐκ ἐπ' ἀξόνων γεγραμμένος, οὐδὲ ἐπὶ στήλης ἐγκεχαραγμένος, οὐδὲ ὑπὸ ψηφισμάτων κεκυρωμένος, οὐδ' ὑπ' ἐκκλησίας κεχειροτονημένος, οὐδ' ὑπὸ δήμου ἐπῃνημένος, οὐδ' ὑπὸ δικαστηρίου δεδοκιμασμένος, οὐδ' ὑπὸ Σόλωνος ἢ Λυκούργου τεθεὶς· ἀλλὰ Θεὸς μὲν ὁ νομοθέτης, ἄγραφος δὲ ὁ νόμος, ἀχειροτόνητος δὲ ἡ τιμὴ, ἀνυπεύθυνος δὲ ἡ ἐξουσία. Καὶ μόνος ἂν εἴη οὗτος νόμος· οἱ δὲ ἄλλως καλούμενοι, δόξαι ψευδεῖς καὶ διημαρτήμεναι, καὶ σφαλλόμεναι. Κατ' ἐκείνους τοὺς νόμους καὶ Ἀριστείδης ἔφευγε, καὶ Περικλῆς ἐζημιοῦτο, καὶ Σωκράτης ἀπέθνησκε· κατὰ δὲ τὸν θεῖον τοῦτον νόμον καὶ Ἀριστείδης δίκαιος ἦν, καὶ Περικλῆς ἀγαθὸς ἦν, καὶ Σωκράτης φιλόσοφος" (1).

Itaque quoties apud Platonem (2), Aristotelem (3) aliosque νομίμων et νόμων ἀγράφων mentionem factam videmus, facile apparet, quid de iis existimandum sit. Significatur nempe naturae lex, cujus quidem, utpote in imis, ut cum Platone dicam, hominis penetralibus insculptae, ea est vis, ut om-

de Cicerone Φιλοπλάτωνι disquisitione, eadem illic et statui et idoneis argumentis probari animadverti. Vid. p. 238. sqq. imprimis autem p. 240.

(1) Max. Tyr. *Diss.* XII.

(2) v. c. *de Legg.* Lib. VIII. p. 838. A., 841. B.; *de Rep.* Lib. VIII. p. 563. D.

(3) v. c. *Politic.* Lib. VI. c. 3. §. 1.

omnium animos sibi submittat et, adhibitis etiam timoris aculeis, efficiat ut latis legibus obtemperare velint (1). Hanc vero legum non scriptarum vim copiosius a Platone tractatam invenimus, ubi in opere *de Legibus* plurima de animo recte instituendo praecepta tradit. Illic enim: „Ταῦτ' ἔστι πάντα," inquit, „ὅσα νῦν διεξερχόμεθα, τὰ καλούμενα ὑπὸ τῶν πολλῶν ἄγραφα νόμιμα· καὶ οὓς πατρίους νόμους ἐπονομάζουσιν, οὐκ ἄλλα ἐστὶν ἢ τὰ τοιαῦτα ξύμπαντα. καὶ ἔτι γε ὁ νῦν δὴ λόγος ἡμῖν ἐπιχυθεὶς, ὡς οὔτε νόμους δεῖ προσαγορεύειν αὐτὰ, οὔτε ἄῤῥητα ἐᾷν, εἴρηται καλῶς· δέσμοι γὰρ οὗτοι πάσης εἰσὶ πολιτείας, μεταξὺ πάντων ὄντες τῶν ἐν γράμμασι τεθέντων τε καὶ κειμένων, καὶ τῶν ἔτι τεθησομένων, ἀτεχνῶς οἷον πάτρια καὶ παντάπασιν ἀρχαῖα νόμιμα" (2). Haec Plato. Ne tamen discipulum dum laudamus divini magistri plane simus immemores. Servavit enim Xenophon in suavissimo de Socrate libello elegantem hujus cum Hippia Sophista sermonem, quo de juris tam civilis quam naturalis fontibus ac causis multa disputantur. Rogat ibi Socrates: „'Αγράφους δὲ τινας οἶσθα, ὦ 'Ιππία, νόμους;" Tum hic: „Τούς γ' ἐν πάσῃ," inquit, „χώρᾳ κατὰ ταὐτὰ νομιζομένους. — Ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν, ὅτι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὺς ἔθεντο; — Καὶ πῶς ἄν, οἵ γε οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι; — Τίνας οὖν νομίζεις τεθεικέναι τοὺς νόμους τούτους; —

'Εγὼ

(1) Plat. *de Legg.* Lib. VIII. p. 839. C.
(2) Plat. l. l. Lib. VII. p. 793. A. B.

Ἐγὼ μὲν θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι· καὶ γὰρ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται θεοὺς σέβειν" (1). — Quem vero celebratissimi latent versus, quos amabili Antigonae in tragoedia tribuit Sophocles? Rea est carissimi fratris sepulturae. Vitae periculum instat, sed summâ et suavitate et vero dignitate causam suam coram Creonte tyranno tuetur. Hic enim: „Καὶ δῆτ'", inquit,

„Καὶ δῆτ' ἐτόλμας τούσδ' ὑπερβαίνειν νόμους;"

Tum vero Antigone — et sane dici vix potest, quantopere verba illa nos legentes moveant quantâque piae sororis admiratione teneamur —:

„Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
Οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους·
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη" (2).

Sed satis jam superque de hac naturae lege ejusque vi disseruisse mihi videor. Accepit homo boni justique sensum, quo *honeste vivere*, *neminem laedere*, *jus suum cuique tribuere* quasi divino impulsu jubetur, quum naturali illa facultate in-

(1) Xenoph. *Memor.* Lib. IV. c. 4. §. 19.
(2) Sophocl. *Antig.* vs. 449. sqq. ed. Brunck.

instructus quid justum, quid injustum, quid fas, quid nefas sit mente et ratione continuo discernat, illud peragere, ab hoc abstinere doceatur. Ipsa igitur hac justi injustique norma, in naturâ hominis insita, continetur proprie secundum antiquos legis notio, quam deditâ operâ ex eorum scriptis fusius adumbrandam esse duxi, quo certiûs judicaremus porro de vulgaribus in civitate legibus. Age, ad naturae legis normam quomodo hae exigendae sint jam videamus.

§. 2.

De necessitudine, quae intercedit inter legem proprie ita dictam et leges, quales vulgo habentur.

„Προῤῥητέον δή τι περὶ πάντων τῶν τοιούτων τοιόνδε· ὡς ἄρα νόμους ἀνθρώποις ἀναγκαῖον τίθεσθαι, καὶ ζῆν κατὰ νόμους, ἢ μηδὲν διαφέρειν τῶν πάντη ἀγριωτάτων θηρίων. ἡ δὲ αἰτία τούτων, ἥδε, ὅτι Φύσις ἀνθρώπων οὐδενὸς ἱκανὴ Φύεται ὥστε γνῶναι τε τὰ συμφέροντα ἀνθρώποις εἰς πολιτείαν, καὶ, γνοῦσα τὸ βέλτιστον, ἀεὶ δυνάσθαί τε καὶ ἐθέλειν πράττειν" (1). Ita recte Plato: nam „si quomodo est natura, sic judicio homines, *humani* (ut ait poëta) *nihil a se alienum putarent*, coleretur jus aeque ab om-

(1) Plat. *de Legg.* Lib. IX. p. 874. E.

omnibus" (1). Itaque vix iis, quae nunc habentur, legibus opus esset. Nemo nostrum alteri vim injuriamve inferret nec factis dictisve ipsi se invisum redderet; sed omnes aurea naturae praecepta pariter in honore haberemus, pariter in nostra vivendi ratione observaremus. Benigna enim naturae manus singulis *αἰδῶ τε καὶ δίκην* largita est. Hujus partes sunt, non *violare* homines, illius non *offendere* (2). Ejusmodi felicem atque integrum humani generis statum somniabant poëtae, quum priscorum hominum vitam sive auream aetatem carminibus suis celebrabant. Haec enim aetas

„*Vindice nullo,*
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant; nec verba minacia fixo
Aere legebantur; nec supplex turba timebant
Judicis ora sui: sed erant sine judice tuti" (3).

Verum enim vero quum parum curare aureum Terentii effatum homines soleant, leges sanciantur omnino necesse est, quae quidem „hoc spectant, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem" (4). Inde fit, ut quemadmodum corpus sine mente, sic civitas sine legibus exstare nequaquam pos-

(1) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 12.
(2) Cic. *de Off.* Lib. I. c. 28.
(3) Ovid. *Metamorph.* Lib. I. vs. 89. sqq. Cf. Seneca, Ep. XC. init.
(4) Cic. *de Off.* Lib. III. c. 5.

possit (1). Harum igitur natura qualis esse debeat, egregie item docuerunt antiqui. Ad naturae nempe legem eas accommodandas esse statuerunt. (2). „Ergo ut illa divina mens summa lex est; ita, cum in homine est, perfecta est in mente sapientis. Quae sunt autem varie et ad tempus descripta populis, favore magis quam re, legum nomen tenent" (3). Itaque divina illa ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta, *hominum* lex est (4). „Est enim ratio mensque sapientis, ad jubendum et ad deterrendum idonea" (5); quod recte etiam pronunciavit aliquando Demosthenes, quum diceret: „Πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ' ἀνθρώπων Φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθηκὴ κοινὴ, καθ' ἣν πᾶσι προςήκει ζῇν τοῖς ἐν τῇ πόλει" (6). Quum igitur naturae lex quod justum bonumque est spectare dici debeat, ut divinam referens originem, leges in civitate ita ad naturae le-

(1) Demosth. ap Stob. *Serm.* 41. p. 270.

(2) Sophistae tamen uti justitiam τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον definire solebant, ita distinguebant quoque *Legem* inter et *Naturam.* Vulgus nempe hominum leges sanxisse dicebant, quibus quaevis prohiberetur injuria; naturam vero robustioribus et fortioribus omnia concessisse et validioribus jus dedisse imperandi imbecillioribus; argumento Platone in *Gorg.* p. 482. E. sqq.

(3) Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 5.

(4) Cic. l. l. Lib. I. c. 6., ad q. l. vidd. Interpretes.

(5) Cic. l. l. Lib. II. c. 4.

(6) Demosth. Orat. I. *Contra Aristogit.* p. 774.

legis normam exactas esse voluerunt antiqui, ut praeter justitiam virtutem maxime et communem civium utilitatem respicerent (1), utque, quemadmodum e communionis studio ipsae natae esse leges habebantur, ita eaedem studium illud alerent perpetuo amicitiaeque in civitate adaugendae rationem haberent. Verum rem propius consideremus.

Et Plato quidem leges partim bonorum virorum gratiâ poni censet, ut discant, quomodo mutuam amicitiam et humanitatem colere possint, partim eorum causâ, qui, omnem dum oderint disciplinam, tam praefractâ sint naturâ, ut vix prohibeantur, ne ad omnem nequitiam praecipites ferantur (2). Passim idem in libris *de Legibus*, nec non alibi, ea de re copiose disputavit, ostenditque, ceteris rebus missis, virtutem primarium esse legis propositum. „Τοῦτον δὴ," inquit, „τίθεσθαι τὸν νόμον ὀρθῶς ὑποτίθεμαι μόνον, ὃς ἂν δίκην τοξότου ἑκάστοτε στοχάζηται τούτου, ὅτῳ ἂν συνεχῶς τούτων τῶν ἀεὶ καλῶν τι ξυνέπηται μόνῳ· τὰ δὲ ἄλλα ξύμπαντα παραλείπῃ, ἐάν τέ τις πλοῦτος, ἐάν τε ἄρα τὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ὂν τυγχάνῃ, ἄνευ τῶν προειρημένων" (3). Rem supra fusius adumbraverat et docuerat virtutem certum esse legum recte condendarum fundamentum eamque per omnes illarum partes permeare, ut

(1) „Exsecrari Socrates eum solebat, qui primus utilitatem a natura sejunxisset." Cic. l. l. Lib. I. c. 12. Cf. id. *de Off.* Lib. III. c. 3.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. IX. p. 880. D. E.

(3) Plat. l. l. Lib. IV. p. 705. E. 706. A.

ut praeponerentur singulis legibus, ducum instar, singulae virtutes (1). Ex quo efficitur oportere legislatorem, leges condat, „οὐ πρὸς ἀρετῆς τι μόριον, καὶ ταῦτα τὸ φαυλότατον βλέπων, ἀλλὰ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν" (2). Praesertim autem legumlatores vitia in civitate funditus tollere debent: tum novam reipublicae formam ad exemplum aeternae justitiae, pulchritudinis, temperantiae, denique virtutis ita describere, ut, humanae vitae ratione habitâ, eam efficiant civium praestantiam, quam ferant res humanae et poscat exemplaris divini similitudo (3).

Quandoquidem igitur leges optimorum gratiâ ferantur, voluit Plato legislatorem in iis scribendis non belli maxime rationem habere, sed pacis et amicitiae. Nec quidquam etiam videtur rei naturae accommodatius. Quum enim amicitiae maxime studio conjuncti homines civitatesque deinceps ortae sint, ad amicitiam illam alendam legislator e Platonis sententia operam impendat oportet; neque munere suo est dignus habendus, „εἰ μὴ χάριν εἰρήνης τὰ τοῦ πολέμου νομοθετοῖ μᾶλλον ἢ τῶν πολεμικῶν ἕνεκα τὰ τῆς εἰρήνης" (4). Iccirco minus probandae ipsi videbantur Cretensium leges, quia uni-

(1) Plat. *de Legg.* Lib. I. p. 631. B. — 632. D. Cf. Lib. III. p. 688. A. sqq.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. I. p. 630. D. Cff. p. 630. C.; Lib. IV. p. 705. D. E.; Lib. VIII. p. 836. D.

(3) Plat. *de Rep.* Lib. VI. p. 500. D. sqq.

(4) Plato *de Legg.* Lib. I. p. 628. D. E.

unice ad bellum istae referrentur atque ad partem adeo virtutis (1).

Sed ut de justitiâ, legibus imprimis spectandâ, singulatim etiam videamus, animadvertendum, voluisse antiquos, ut legislator patris matrisque personam in civitate gereret, ut leges ejus imaginem repraesentarent hominis, civium saluti omnia postponentis, nec vero tyranni ac domini, pro arbitrio imperantis (2). Nam perverse vulgo statui dicebant, hoc potissimum legum esse propositum, ut utilitati eorum prospicerent, qui civitati praeessent (3), quum potius toti civium multitudini consulere debeant, nec recte illae leges dicantur, quae non ad communem referantur civitatis utilitatem (4). Testatur haec cum Platone Aristoteles: „*Ἀποροῦσι τινες*," inquit, „*πότερον τῷ νομοθέτῃ νομοθετητέον, βουλομένῳ τίθεσθαι τοὺς ὀρθοτάτους νόμους, πρὸς τὸ τῶν βελτιόνων συμφέρον ἢ πρὸς τὸ τῶν πλειόνων. — Τὸ δ' ὀρθὸν ληπτέον ἴσως· τὸ δ' ἴσως ὀρθὸν πρὸς τὸ τῆς πόλεως ὅλης συμφέρον καὶ πρὸς τὸ κοινὸν τὸ τῶν πολιτῶν*" (5).

Ex hisce igitur colligi possit, merito legem, *vitiorum emendatricem* vocari a Cicerone potuisse *commendatricemque virtutum*, recteque illum putasse ab

(1) Plat. l. l. Lib. IV. p. 705. E.
(2) Plat. l. l. Lib. IX. p. 859. A.
(3) Plat. l. l. Lib. IV. p. 714. C. sqq.
(4) Plat. l. l. p. 715. B. Cf. *de Rep.* Lib. VII. p. 519. E. et passim.
(5) Aristot. *Politic.* Lib. III. c. 7. §. 13.

ab ea ducendam esse vivendi doctrinam (1); sed patet inde simul, quales veteres cogitaverint *bonas* leges. Non sane jussa principum leges appellabant neque item instituta, quamquam haec quoque leges subinde dicuntur. Jussa enim ac vetita populorum vim non habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi arbitrabantur (2). Et profecto, si res ita sese haberet, si regum populorumque jussa vim legis habere putanda essent, non foret integra legum conditio. Fit enim interdum, ut jussa ista sint injusta, quum plane ab hominum quorundam arbitrio pendeant. Injustitia autem in legem cadere nullo pacto potest. ,, *Δίκη μὲν οὖν,*" dicebant antiqui, ,, *νόμου τέλος ἐστίν· νόμος δὲ, ἄρχοντος ἔργον· ἄρχων δὲ, εἰκὼν θεοῦ τοῦ πάντα κοσμοῦντος*" (3). Valet idem de institutis. Sunt multa prorsus injusta, sponte et casu inducta vel hominum etiam perversitate, possuntque illa, dum huic genti prosunt, alteri recepta insigne afferre detrimentum. Apte id exposuit Cicero: ,, Jam vero," inquit, ,, illud stultissimum, existimare omnia justa esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut, si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hae leges justae haberentur? Ni-

(1) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 22.
(2) Cic. l. l. Lib. II. c. 4
(3) Plutarch. *ad princ. indoct.* Vol IX. p. 122.

Nihilo, credo, magis illa, quam Interrex noster tulit, ut Dictator, quem vellet civium, indictâ causâ impune posset occidere. est enim unum jus, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una. quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam" (1). Ut igitur verbo dicam, una naturae lex scriptarum legum omnium veluti τύπος esse debet (2). „Ergo est lex" — quâ quidem Ciceronis definitione hancce disquisitionis meae partem absolvere liceat — „justorum injustorumque distinctio (3), ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos" (4).

§. 3.

(1) Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 15. Cff. c. 16. init.; Lib. II. c. 5.

(2) Diserte Pythagoreis *lex naturae* dicebatur πατὴρ καὶ ἡγεμὼν τῶν γεγραμμένων νόμων; amplissimique nominis honore dignus Βασιλεὺς, νόμος iisdem vocabatur ἔμψυχος. Vid. Valckenaer. ad Herod. Lib. III. c. 38.

(3) Supra eam dixerat *juris atque injuriae regulam*, Lib. I. c. 6., plane uti *justi injustique regula* vocatur apud Senecam, *de Benef.* Lib. IV. c. 12. et κανὼν δικαίων τε καὶ ἀδίκων ap. Martian. *Digg.* Lib. I. Tit. III. §. 2., quae laudavit Turnebus. A Cic. denique lex dicitur etiam *recti praeceptio*, *pravi depulsio*, de *N. D.* Lib. II. c 31.

(4) Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 5.

§. 3.

De natura legum in civitatibus antiquis.

Hisce quomodocunque tandem explanatis, contemplanda nobis est vera legum apud veteres ipsos ratio, ut simul inde appareat, quatenus ad leges, quae proprie hoc nomine vocandae sunt, accommodatae fuerint. Uti igitur plerumque apud rudiores gentes obtinet, is antiquitus fere receptus erat mos, ut leges non scripto mandarentur, sed memoriae. Erant ῥῆτραι sive breves et graves sententiae, quas pueri fere ediscebant, ut viri cognitas observarent. Scribi autem tum demum leges incipiunt, quum ad majorem cultum ac humanitatem populus pervenit. Exstiterunt ita postea apud Athenienses cum Draconis, tum vero Solonis leges, apud Romanos leges XII tabularum, a Decemviris legibus scribendis collatae. Missi hi Athenas sunt ,, jussique inclutas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores juraque noscere" (1). Quatenus vero illi id peregerint, sub judice lis est. Certe post hoc tempus scriptis legibus uti coeperunt Romani, quum olim summa juris dicendi potestas penes solos Patricios et Pontifices fuisset. Multi sunt antiqui in laudandis XII tabularum legi-

(1) Liv. *Hist.* Lib. III. c. 31.

gibus. Splendidum afferam Ciceronis in libris *de Oratore* (1) locum, qui, quamquam non ad brevitatis normam est exactus, tamen ad legum illarum naturam cognoscendam summi esse momenti videtur. Ibi Crassus: „ Sive quem," inquit, „ antiqua studia delectant, plurima est et in omni jure civili et in Pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et actionum genera quaedam majorum consuetudinem vitamque declarant; sive quis civilem scientiam contempletur, — totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbit; sive quem ista praepotens et gloriosa philosophia delectat, (dicam audacius,) hosce habebit fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili et legibus continentur. Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, quum verus, justus atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore decoratur, vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur; et docemur non infinitis concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Fremant omnes licet, dicam quod sen-

(1) Lib. I. c. 43, 44. Cff. *de Rep.* Lib. II. c. 36, 37. Liv. l. l. c. 34.; Tacit. *Ann.* Lib. III. c. 27.

sentio: bibliothecas, mehercule, omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare."

Ne tamen in veterum legibus indagandis debitum Lycurgi legislationi honorem denegemus. Is in peregrinas regiones, Cretam imprimis, profectus, sedulo gentium legibus atque institutis exploratis, post diuturnam tandem peregrinationem ad suos rediit novasque Lacedaemoni leges dedit. Harum deinde cognitione penitus imbuebantur pueri; sed scripto leges non mandabantur. Erant item ῥῆτραι, oraculi jussu a Terpandro poëta certis numeris adstrictae, quo facilius ediscerentur. Non autem scribi leges suas voluit Lycurgus, quandoquidem existimabat, illud, quod civium felicitati firmandae augendaeque inserviat, quod ad virtutem eos adducat, eorum moribus impressum et institutionibus immotum haerere, quippe cujus fundamentum sit intima persuasio quodque stabili eorum voluntate innitatur, qua quidem multo magis sint obstricti quam vi, quae eos cogat: ut educatio juvenilis exsistat regula et legislatoris loco habenda sit (1). Uti autem antiquarum civitatum ratio ad moralem maxime civium conditionem referebatur, ita leges etiam suas ad morum servandam integritatem composuit Lycurgus. Eo puerorum educatio et communu-

(1) Plutarch. *Vit. Lyc.* c. 13.

munia civium tetenderunt convivia, quibus tanquam διδασκαλεῖοις σωφροσύνης pueri adessent deque rebus politicis confabulantes cives audirent (1). Valuerunt eo cum inducta ferrea moneta sublataque eâ mercatura (2), tum vero etiam ξενηλασία vetitaque civium peregrinatio, ut ne una cum divitiis luxuria, cum peregrinis ipsis aut peregrinatis civibus mores item peregrini in civitatem irreperent (3). Atque sic quidem Lycurgus „ ὥςπερ ἑνὸς ἀνδρὸς βίῳ καὶ πόλεως ὅλης νομίζων εὐδαιμονίαν ἀπ᾽ ἀρετῆς ἐγγίνεσθαι καὶ ὁμονοίας τῆς πρὸς αὐτὴν, πρὸς τοῦτο συνέταξε καὶ συνήρμοσεν, ὅπως ἐλευθέριοι καὶ αὐτάρκεις γενόμενοι καὶ σωφρονοῦντες ἐπὶ πλεῖστον χρόνον διατελῶσιν" (4). Unde Xenophon: „ Ἡ Σπάρτη εἰκότως πασῶν τῶν πόλεων ἀρετῇ διαφέρει, μόνη δημοσίᾳ ἐπιτηδεύουσα τὴν καλοκἀγαθίαν" (5).

Apparet igitur, quae potissimum fuerit legum apud antiquos natura. Quod autem de Romanorum et Lacedaemoniorum legibus observatum est, idem de ceterarum antiquitatis gentium et vero Atheniensium legibus valet. Vigebat apud hos, optimis certe reipublicae temporibus, a Solone confirmatus Areopagus, quae curia totius Graeciae gravissima fuit, sanctissima, severissima. Optimi quique et justissimi civium olim in Areopagitarum nu-

(1) Plutarch. l. l. c. 12.
(2) Plutarch. l. l. c. 9.
(3) Plutarch. l. l. c. 27. Cf. Xenoph. *de Rep. Laced.* c. 7.
(4) Plutarch. l. l. c. 31.
(5) Xenoph. *de Rep. Laced.* c. 10.

numerum eligebantur, qui populo post praeclare gestum magistratum probati tam legum quam moralis civium conditionis maxime curam haberent(1). Judicabant autem secundum leges, quae praecepta de virtutibus ac vitiis complectebantur, quibus obsequentes cives bene sancteque viverent. Lycurgi autem exemplum secutus curam primariam Solon posuit in puerorum educatione, quum publice eos institui ad virtutem ab optimis praeceptoribus vellet; deinde vero e pueris egressos in gymnasio legibus, morum honestati maxime accommodatis, assuefieri, quo magis ad virtutem mature informati virili aetate probi evaderent honestique cives (2).

Itaque quod in hac nostra disputatione imprimis est tenendum, leges antiquae *mores* spectabant, *moribus* erant fundatae (3). Quae more et consuetudine recepta fuerant, postero tempore firmari legibus coepta sunt. Erant adeo leges ad antiquam paupertatis, parsimoniae, temperantiae, probitatis normam exactae, moribus antiquis cum ipsa republica superstructae. Conscribebant autem leges viri eruditiores, plerumque philosophi, „non contentiosi

(1) Vidd. de Areopago et Areopagitis Isocrat. *Orat. Areop.* ed. Steph. p. 147., ad q. l. vide quos laudat Bergmann. Cic. *de Off.* Lib. I. c. 22. Val. Max. Lib. II. c. 6. §. 4. Optime totam curiae rationem cum aliis inter recentiores exposuit Cl. Luzac, in anim. ad Orat. *de Socr. Cive*, p. 113. sqq. ed. alter.

(2) Legatur omnino Isocrat. l. l. p. 148, sq.

(3) Inde apud. Virg. *Aen.* Lib. I. vs. 264, *mores* pro legibus dicuntur.

tiosi illi aut formularii, quales proximâ ab iis temporibus aetate extitisse legimus, sed rebus gerendis nati homines, vere sapientes, qui sapientiae praecepta in usum vitae transtulerant, naturas rerum atque hominum hoc uno consilio didicerant, si ad juvandas eas aut emendandas idoneum quid excogitare possent; qui longo tandem rerum usu exerciti erant et subacti, peregrinationibusque longinquis susceptis variarum civitatum et rerumpublicarum bona ac mala cognoverant" (1). Invaluit autem antiquissimo aevo in legibus conscribendis haud raro mos, ut non nude et simpliciter conderentur leges, quemadmodum id postea factum est hodieque etiam fieri solet, sed ut legibus *proöemia* quasi in commendationem praemitterentur, quibus civibus suis legislatores persuaderent, ut propositas leges tanquam civitatis suaeque adeo saluti utilissimas considerarent (2). Patrum igitur personam legislatores illi sustinebant, patrum instar suos cives admonebant et ad legum obsequium hortabantur. Probavit quam maxime institutum illud Pla-

(1) Sunt verba Heynii, V. Cl., *Opusc.* Vol. I. p. 140. Legatur hac de re omnino Ciceronis locus, qui est *de Rep.* Lib. I. c. 2.

(2) Egerunt id imprimis Zaleucus et Charondas secutique in suis *de Legibus* disquisitionibus eorum exemplum sunt Plato et Cicero, quamquam ipse Plato negat se in eo quemquam esse imitatum, *de Legg.* Lib. IV. p. 722. E.; qua de re vid. omnino d'Engelbronner, l. l. p. 54, 55., uti etiam Nob. de Geer, l. l. p. 174.

Plato, quum non jubendo tantum minandoque cogendi sint cives, ut quod debeant agere velint, verum monendo etiam et persuadendo eo sint adducendi, ut sua sponte latis legibus obtemperent (1). Eandem rem saepius attigit philosophus et docuit legislatoris officium non iis solum terminis circumscribi, ut leges ponat, sed etiam efflagitare, quod majus est, ut medium quoddam adhibeat, quod inter admonitiones legesque intercedat; oportere nempe eum „*μὴ μόνον γράφειν τοὺς νόμους, πρὸς δὲ τοῖς νόμοις ὅσα καλὰ αὐτῷ δοκεῖ καὶ μὴ καλὰ εἶναι, νόμοις ἐμπεπλεγμένα γράφειν*" (2).

Verum uti in magnis rebus non eadem semper solet esse virorum doctorum sententia, ita hac quoque in re Plato nullam non vituperationem passus est: quod paucis explicare ab hoc loco non videtur alienum. Seneca nempe hunc morem proöemia legibus praemittendi reprehendens: „Non probo," inquit, „quod Platonis legibus adjecta principia sunt. Legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse: non disco, sed pareo" (3).

Quod-

(1) Plat. *de Legg.* Lib. IV. p. 718. B. sqq.

(2) l. l. Lib. VII. p. 822. D. — 823. A.

(3) Seneca *Epist.* XCIV. Laudavit tamen proöemia legum Cicero, *de Legg.* Lib. II. c. 6., cum in Zaleuci et Charondae legibus, *cum quidem illi non studii et delectationis, sed reipublicae causâ leges civitatibus suis scripserint*;

Quodsi tenemus leges illas antiquissimis temporibus, in summa duntaxat hominum vitaeque simplicitate fuisse latas, non mirum esse possit legibus ipsis vivendi doctrinam hominibus praescriptam fere fuisse, quod quidem quum minus bene ipsis legibus perficerent, commode legum prologos invenisse videntur legislatores. Ceterum, quae de legis brevitate monuit brevitatis, ut Stoicus, amans Seneca et in Platone, cujus tamen leges ipsae breves sunt et jubent tantummodo (1), vituperavit, ea prolixius dijudicare non ad rem nostram pertinere videtur; sed ipsius Platonis, ubi de legum prooemiis agit, verba huic vituperationi opposuisse satis erit: „Τὸ μὲν οὖν περὶ πολλῶν ἢ ὀλίγων γραμμάτων ποιήσασθαι τὸν λόγον, λίαν εὔηθες. τὰ γὰρ, οἶμαι, βέλτιστα, ἀλλ' οὐ τὰ βραχύτατα, οὐδὲ τὰ μήκη τιμητέον" (2).

Ut igitur summatim dicam, solebant antiqui praeter jura, quae vulgo dicuntur, publica, civilia, sacra, (quae tamen antiquissimis temporibus nondum fuerunt in sua capita redacta,) item ea perscri-

rint; tum etiam in Platone. Hic enim eorum vestigiis pressis *hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.* Conferri omnino cum legum prologis orationes possunt, quae in commendationem legis cujusdam apud Romanos in foro haberi solebant.

(1) Sejunxit enim Plato, ut post eum Tullius, prooemia a legibus; qua de re vid. d'Engelbronner, l. l. p. 55., qui laudat Spec. Cons. P. A. de Fremery, *de rationibus veterum Jureconsultorum*, Lugd. Bat. 1801. p. 72, 73.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. IV. 722. A.

scribere, quae ad morum sanctitatem vitaeque tam publicae quam privatae honestatem pertinere videbantur; unde fit ut Lycurgi, Zaleuci, Charondae aliorumque leges magnam partem praecepta moralia, minus vero leges existimandae sint (1). Continebant adeo antiquitus leges quaecunque et sibi et Deo aliisque homo debere putari potest, exprimebantque ita plane naturae legem, quum morali sua natura justitiam, pietatem in Deum, verbo virtutem honestatemque commendare et paterno affectu suadere solerent (2). Eadem ratio fuit legum Mosaïcarum, quas verarum legum *τύπους* merito vocaveris. Omnino enim morali gentis suae praestantiae Hebraeorum ille legislator divino impulsu consuluit fundumque legum suarum virtutem fecit et summi Numinis reverentiam (3).

Ejusmodi quum esset in antiquis civitatibus legum natura, optime intelligitur quomodo factum sit, ut tantum posuerint curam in puerorum educa-

(1) De Zaleuci ac Charondae legibus cons. Heynius, V. Cl., *Opusc.* Vol. II.

(2) Iccirco Pythagoras a Xenophilo interrogatus, quomodo optime filium suum institueret, respondit: „*Eἰ πόλεως εὐνομουμένης γεννηθείη*," ap. Diog. Laërt. Lib. VIII. c. 16.

(3) Neque aliter rem tractavit Plato, *de Legg.* Lib. IV. p. 715. E. — 717. B., qui quum universe virtutem civium maxime a legislatore spectandam esse censeret, etiam religionis sensum inque Deos pietatem eorum animis inesse voluit. Praeclara item de Deorum in civitate cultu praecepta tradidit Cicero, in libris *de Legibus*, Lib. II. c. 10. sqq.

catione et institutione, quam a legibus prorsus pendentem legum custodes sive magistratus perpetuo inspiciebant ac cognoscebant. Quia enim id volebant potissimum leges, ut et scelera poenis coërcerentur et hominum malitia erueretur radicitus virtusque publica et privata in eorum animos infunderetur, puerorum illae enutritionem imprimis curabant atque ita hujus ratione praescribendâ firmissimum habebant praesidium ad id quod spectabant efficiendum. Quocirca haec civilis apud antiquos prudentiae veluti *arx* est dicenda, ut civibus disciplinae procuratio legibus ipsis consignaretur (1). Verissimum enim et historiae testimonio egregie confirmatum Isocratis monitum, „τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους τολμήσειν παραβαίνειν· τοὺς δὲ καλῶς πεπαιδευμένους καὶ τοῖς ἁπλῶς κειμένοις ἐθελήσειν ἐμμένειν" (2). Habebatur ita „παιδεία ἡ παίδων ὁλκή τε καὶ ἀγωγὴ πρὸς τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου λόγον ὀρθὸν εἰρημένον" (3). Unde etiam merito existimabant veteres, „ὡς εὖ μὲν τραφέντων καὶ τρεφομένων τῶν νέων,

(1) In proverbium scilicet, uti apud Platonem occurrit, abierat, „πάντ' ἄνδρα καὶ παῖδα, κατὰ τὸ δυνατὸν, ὡς τῆς πόλεως μᾶλλον ἢ τῶν γεννητόρων ὄντας, παιδευτέον ἐξ ἀνάγκης," *de Legg.* Lib. VII. p. 804. D.

(2) Isocr. *Orat. Areop.* p. 148. Locum corruptum ita restituit Bergmann.

(3) Plato, *de Legg.* Lib. II. p. 659. D. Rogatus Xenocrates, quid assequerentur ejus discipuli, respondisse fertur, *ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus.* Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 2.

νέων, πάντα ἡμῖν κατ' ὀρθὸν πλεῖ" (1). Repetenda inde sunt praeclara praecepta, quae de puerorum institutione in Platonis *de Legibus*, imprimis *de Republica* libris exhibentur; nam is demum ipsi in rebus civilibus bonum capere initium videbatur, qui juvenum primum curam haberet, ut quam optimi evaderent, tum vero ceteris civibus consuleret (2). Illis enim facilius posse putabat et semina virtutis ingerminari et vitii semina funditus erui. Verum quoniam de educatione et morali maxime ejus vi infra agendi locus erit, jam dicendum est de existimatione, qua antiquitus leges fuerint, deque obedientiâ, quam censuerint illis deberi.

§. 4.

De auctoritate legibus secundum antiquos tribuenda.

Ex egregia igitur puerorum in antiquis civitatibus educatione fluxisse videtur mira illa veterum, quam legibus praestandam censebant, observantia et reverentia, ut omnes sese legum veluti *servos* existimarent. Operae pretium est hanc antiquitatis sententiam ultimo loco exquirere.

Itaque a teneris inde annis summo pueri imbueban-

(1) Plat. *de Legg*. Lib. VII. p. 813. D.
(2) Plat. *Euthyphr*. p. 2. C.

bantur patriae legumque reverentia, illam in deliciis habere, has tanquam dominas colere docebantur. Firmabant hanc disciplinam cum poëtae, tum imprimis clara majorum facinora. Cecinit inde Pindarus: „Νόμος πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθάνατων" (1); dixerunt similiter complures alii, ut non facile inter antiquos inveniantur, quin ejusmodi legum servitium commendaverint. Hac opinione imbutus Lacedaemonius quidam, interrogatus cur de antiquo jure Lacedaemone nihil liceret convellere: „Τοὺς νόμους," inquit, „τῶν ἀνδρῶν, οὐ τοὺς ἄνδρας τῶν νόμων, κυρίους εἶναι δεῖ" (2), quum scilicet iis, quae puer audierat, persuasum sibi haberet, „τὸ πείθεσθαι μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν στρατιᾷ καὶ ἐν οἴκῳ" (3). Repetenda denique inde, quae Philisci de Thebanis exstat pal-

(1) Invenitur hoc fragmentum in Pindari Carm. Vol. III. P. I. p. 76. Ed. Heyn. — Plato laudatam sententiam respicit *Protag.* p. 337. D. et *de Legg.* Lib. III. p. 690. B. Plenior vero apud eundem occurrit *Gorg.* p. 484. B., quo loco Callicles, vanae ille Sophistarum sapientiae studiosissimus, dum *Legem* inter et *Naturam* distinguit, Pindari versus aperte in rem suam convertit, statuens justitiam esse τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, „omissis quae poëta, laudator aequi bonique, his adjecerat vicina", ut ad Herod. Lib. III. c. 38. ait Valckenaer. – De iis, qui praeter Platonem sententiam Pindaricam adhibuerunt, vidd. Valckenaer. et Wesseling. ad Herod. l. l. et Heynius in annot. ad Pindari versus cit. Cf. Nob. de Geer l. l. p. 22.

(2) Plutarch. *Lacon. Apophthegm.* Vol. VI. p. 860. Cf. simile effatum apud Plat. *Epist.* VIII. p. 854. C.

(3) Xenoph. *de Rep. Laced.* c. 8. §. 3.

palmaria sententia: „Ἐμοῦ γάρ ἐστι κύριος εἷς ἀνήρ· τούτων δὲ καὶ σοῦ κυρίων τε ἄλλων Νόμος" (1). Accedit, quod ipsae quoque leges hoc legum servitium tanquam salutare omnibus commendasse videntur. Exstat certe Zaleuci lex, qua dicitur: „Ὑπὸ νόμου βελτίονος ἡττώμενον καταχρατεῖσθαι, καὶ καλὸν καὶ συμφέρον" (2). Ad servandam autem legum integritatem et sanctitatem referatur etiam oportet lex Charondae, qua legi omnino parere cives jubentur, licet plane inique scripta fuerit (3), idemque fere Zaleuci legibus praescribitur (4).

Et vero legi velut dominae parere antiqui non solum decorum arbitrabantur, sed naturae etiam nostrae haud repugnare, modo virtutis simus studiosi. Civis bonus secundum Platonem per totam vitam legum se auctoritati submittet (5). Sic enim cogitabit: „Εἷς μὴν πόλιν καὶ πολίτας μακρῷ ἄριστος, ὅςτις πρὸ τοῦ Ὀλυμπιάσι καὶ ἁπάντων ἀγώνων πολεμικῶν τε καὶ εἰρηνικῶν, νικᾷν δέξαιτ' ἂν δόξῃ ὑπηρεσίας τῶν οἴκοι νόμων, ὡς ὑπηρετηκὼς πάντων κάλλιστα ἀνθρώπων αὐτοῖς ἐν τῷ βίῳ" (6). Sed praeterea hac erit semper vir honestus opinione, „ὡς δεῖ πάντ' ἄνδρα διανοεῖσθαι περὶ ἁπάντων ἀνθρώπων, ὡς

(1) Exstat ap. Stob. *flor. Grot.* p. 233.

(2) Ap. Stob. *Serm.* 42.

(3) Ap. Diod. Sic. Lib. XII. c. 16.

(4) Ap. Stob. l. l. Debeo haec Heynio, V. Cl. *Opusc.* Vol. II. p. 30. et 98.

(5) Cf. Aristot. *Politic.* Lib. III. c. 7. §. 13.

(6) Plat. *de Legg.* Lib. V. p. 729. D.

ὡς ὁ μὴ δουλεύσας, οὐδ' ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου· καὶ καλλωπίζεσθαι χρὴ τῷ καλῶς δουλεῦσαι μᾶλλον ἢ τῷ καλῶς ἄρξαι· πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις, (ὡς ταύτην τοῖς θεοῖς οὖσαν δουλείαν,) ἔπειτα τοῖς πρεσβυτέροις τε καὶ ἐντίμως βεβιωκόσι, τοὺς νέους" (1).

Verum, quamquam ex iis quae attuli exemplis affatim fortasse demonstratur, quam antiquitus auctoritatem legibus tribuendam esse existimaverint, enarrare tamen juvat praestantissimum Herodoti locum, qui omnino ad Politicae antiquae principia cognoscenda haud negligendus videtur. Habetur illic colloquium Xerxem inter et Demaratum, Spartanorum olim Regem, qui tunc ad Persas confugerat. Rogasse illum dicitur Xerxes, quum in eo esset ut adversus Graeciam expeditionem susciperet, an opinaretur re vera Graecos Persarum copias esse exspectaturos. Tum Demaratus: „Quandoquidem," inquit, „Rex, e rei veritate omnino me loqui jubes, eaque dicere, quae non mentitum me esse postea a te deprehendar, equidem tibi obsequar. In Graecia semper paupertas habitavit; accessit vero virtus, quae e sapientia oritur et lege valida, qua utens Graecia et paupertatem abigit et dominatum. Et laudo quidem Graecos omnes circa terras Doricas habitantes; nec vero de cunctis Graecis nunc dicam, sed de solis Lacedaemoniis; quos primum dico nequaquam accepturos tuas conditiones,

(1) Plat. l. l. Lib. VI. p. 762. E.

nes, servitutem Graeciae proponentes; deinde obviam illos tibi ituros aio in pugnam, licet ceteri Graeci omnes tecum sentirent. Quod autem ad numerum attinet, noli quaerere quot sint numero, qui hoc facturi sint: nam sive mille fuerint, qui in aciem prodeant, hi tecum pugnabunt, sive his pauciores, sive etiam plures."

Hisce auditis Xerxes vix fidem habebat. Quodsi ille vera locutus esset, oportere affirmabat, ipse Demaratus, quippe qui olim Spartanorum Rex fuisset, cum duplo numero congrederetur. Se vero putare Graecos aegre Persis, licet numero pares, resistere posse. Esse enim in satellitibus regiis, qui cum tribus simul Graecis pugnam inire haud detrectarent. Tum vero sic pergere coepit Demaratus: „Inde ab initio, Rex, noveram me vera dicentem grata tibi non dicturum esse. Quum vero me verissima eloqui coëgeris, dixi quae ad Spartanos pertinerent, quamquam optime ipse novisti, quo modo ego nunc maxime erga illos affectus sim, qui me, honoribus et paternis muneribus spoliatum, domo atque patria expulerunt. Pater autem tuus me benigne exceptum victu et domicilio donavit. Quocirca credibile non est hominem sanae mentis respuere exploratam benevolentiam, sed potius quam maxime eam complecti. Ego autem neque cum decem simul viris me dimicare posse praedico neque cum duobus; lubens autem ne cum uno quidem congrediar.

Quod-

Quodsi vero urgeret necessitas aut magnum aliquod discrimen, admodum lubenter cum uno ex his viris pugnarem, quorum unusquisque ait se tribus esse Graecis parem. Ita etiam Lacedaemonii, quando singuli cum singulis pugnant, nullis sunt viris inferiores; conferti vero omnium hominum fortissimi. Nam licet liberi sint, non sunt tamen omni ex parte liberi; praeest enim ipsis domina, *Lex*, quam illi dominam multo magis timent quam tui te. Faciunt certe quidem quod lex imperat; imperat autem semper idem, non sinens ex acie profugere quantacunque sit hostium multitudo, sed jubens omnes in ordine suo stantes vincere aut mori" (1).

Haec Demaratus. Nos autem inde videmus, quanta fuerit legum apud antiquos vis et auctoritas. Persarum rex tale quid intelligere nullo modo poterat. Leges cogitabat quales ipse ferebat, quales vulgo habentur, principum jussa. Leges quales Graeci cogitabant, ne fando quidem audiverat. Naturae lege hae erant fundatae, *ratione insita in natura hominum; quae vocat ad officium jubendo, vetando a fraude deterret.* Ejusmodi lex non subditorum tantum, sed ipsius etiam regis et principis domina atque regina habebatur. Erat enim „ὁ νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, (ὥς φησι Πίνδαρος) οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένοις, οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος, ἀεὶ συνοι-

(1) Herod. Lib. VII. c. 101. — c. 104.

οἰκῶν καὶ παραφυλάττων καὶ μηδέποτε τὴν ψυχὴν ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας" (1).

Et vero tam populi, ut infra videbimus, quam optimi quique homines illustria olim dederunt legum observantiae exempla, ut eam non commendarent tantum praeceptis, sed suis ipsi factis praestarent. Luculentissimum hujusmodi exemplum in Socrate magistro servavit nobis Plato. Justissimum illum vitaeque integerrimum virum, iniquo judicio in carcerem detrusum, summo mane adiisse proponitur Crito, Socratis familiaris simul et discipulus. Obsecrat ille magistrum ut ne, dum liceat, aufugiendi opportunitatem, a se et reliquis amicis paratam, aspernetur. Sed neque preces neque instans vitae discrimen optimo viro persuadent, ut amicorum consilio obsequatur; patienter in custodia infaustae navis adventum exspectat, nec, quamquam injuste capitis damnatus, patrias leges violare honestum virum decere existimat. Scilicet putabat Socrates: „*Καὶ ἐν πολέμῳ καὶ ἐν δικαστηρίῳ καὶ πανταχοῦ ποιητέον ἃ ἂν κελεύῃ ἡ πόλις καὶ ἡ πατρὶς, ἢ πείθειν αὐτὴν ἧ τὸ δίκαιον πέφυκε· βιάζεσθαι δ᾽ οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα*" (2). Etiamsi autem leges effugisset Socrates inque aliam civitatem sese contulisset, despectui tamen procul dubio se fore existimabat. „*Ὅςτις γὰρ νόμων διαφθορεύς ἐστι, σφό-*

(1) Plutarch. *ad princ. indoct.* Vol. IX. p. 120.
(2) Plat. *Crit.* p. 51. B. C.

σφόδρα που δόξειεν ἂν νέων γε καὶ ἀνοήτων ἀνθρώπων διαφθορεὺς εἶναι" (1). — Neque defuerunt adeo inter legislatores antiquos, qui praeclare factis suis ostenderent, quantâ existimatione leges haberi a civibus vellent; Zaleucum dico et Charondam. Illius enim „cum filius adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet ac tota civitas in honorem patris poenae necessitatem adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnavit: ad ultimum, precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit." Ulterius etiam processisse fertur Charondas, qui lege statuerat, „ut, si quis conciones cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interjecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indictâ concione, sicut erat in eam processit: ab eoque, qui proxime constiterat, solutae a se legis suae monitus: *Idem ego illam*, inquit, *sanciam*; ac protinus ferro, quod habebat, destricto incubuit" (2).

In legum autem apud antiquos auctoritate dijudicanda ratio morum imprimis est habenda, quippe a quibus pendebat prorsus legum observantia. Haud con-

(1) Plat. l. l. p. 53. C.

(2) Valer. Maxim. Lib. VI. c. 5. §. 3., 4. Referas item eo quae de disciplina militari in Postumi Tuberti, Manlii Torquati aliorumque factis, apud Romanos imprimis, idem auctor tradit, Lib. II. c. 7.

constans ea esse poterat, nisi inesset in civium animis, quod ad leges colendas perpetuo eos excitaret. Proba igitur donec erat moralis civium conditio, legibus quoque non vi coacti, sed sponte sua serviebant. Praeter leges ipsas nemo ad earum obsequium cives cogebat; sed ipsi prae morum suorum probitate religiosâ legum reverentiâ ducebantur. Corruptis vero moribus, interierat omnis legum auctoritas: omnem enim boni justique tum exuerant sensum. — Sed haec ita attigisse sufficiat. Infra hac de re pluribus disputare licebit, ubi effato veterum duce, in legum obsequio civilis libertatis agnoscemus praesidium. Nunc enim gravissima eaque difficillima quaestionis pars tractanda est, quae agit *de libertate.*

CA-

CAPUT II.

DE LIBERTATE.

Τοῦ καλλίστου τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν, Ἐλευθερίας, μὴ περιΐδωμεν. ἥδ᾽ ἐστὶν ἀρχὴ καὶ πηγὴ τῆς εὐδαιμονίας.

Philo Judaeus.

Quemadmodum hactenus *legum* notio et natura satis enucleate, ut spero, exposita est et illustrata, ita postulare res videtur, ut jam altero loco in *libertatem* inquiratur ejusque pariter ratio separatim explicetur. Quod quo clariore in luce ponatur, primum de libertate *in genere*, tum vero de *utrâque* eius *formâ* paucis absolvere juvat.

§. 1.

De universa libertatis notione.

„Omnis," ait Tullius, „quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur." (1). Quod quidem philosophi monitum

(1) Cic. *de Off.* Lib. I. c. 2.

tum uti in nullum non disputationis genus convenire putandum est, ita nobis libertatis veram notionem indagaturis imprimis attendendum esse videtur. Tanta enim fuit fere opinionum hac de re discrepantia, tam varia omni aevo apud varios homines fuit vocis hujus significatio, ut in contrarium plane ruerent subinde et omnia potius quam libertatem definirent. Dictum hoc maxime sit de libertate *civili*. Alius aliter eam terminavit, sed unusquisque fere secundum suos ipsius mores, studia, opiniones. Docet autem satis superque gentium tam antiquo quam recentiore aevo historia, quantam malorum segetem prava vocis acceptio per terrarum orbem severit (1), ut haud raro ipsum libertatis nomen, ipsa adeo res odio haberi coepta sit. Quî autem fieri hoc potuerit ostendere non hujus est loci, sed ex iis quae infra dicentur satis patebit. Hîc unice libertatis spectamus *notionem*. Itaque, age, varias hominum sententias prius breviter recenseamus et exploremus, deinde ipsi eam definire conemur.

Memorat igitur Montesquivius, Vir celeberrimus, nonnullas quas dederunt libertati in civitate significationes. „ *Les uns*," inquit, „ *l'ont pris pour la facilité de déposer celui à qui ils avoient donné un pouvoir tyrannique; les autres pour la faculté d'élire celui à qui ils devoient obéir; d'autres, pour le droit d'être armés, et de pouvoir exercer la violen-*

(1) Queritur de eo jam Isocrat. orat. *ad Phil.* p. 103.

lence; ceux-ci pour le privilége de n'être gouvernés que par un homme de leur nation, ou par leurs propres lois" (1). Dominatur in hisce fere notio *juris*, *facultatis* vel *privilegii*, quod habeat populus atque exerceat. Ipse adeo Montesquivius, quamvis ceteroquin rectius de libertate pronunciavit, *potestatem* quandam et *jus* ipsam definivit. „*Dans un état, c'est-à-dire dans une société où il y a des lois, la liberté ne peut consister qu'à* pouvoir *faire ce que l'on doit vouloir, et à n'être point contraint de faire ce que l'on ne doit pas vouloir.*" Et paulo inferius: „*La liberté est le* droit *de faire tout ce que les lois permettent.*" At vero errare egregie videntur quotquot hac viâ procedentes unice *positivam*, ut ita dicam, significationem tribuere libertati solent. Inde notio juris, privilegii, facultatis, quae ad libertatis notionem proprie acceptam nequaquam pertinet. Imo vero habet potius illa vox significationem *negativam*. Nihil enim aliud est quam τὸ *non impediri*. Liber es ratione habitâ vinculorum, curarum, dolorum, rerum omnino quae tibi sunt impedimento. Quod vero te liberum reddit, libertatem tibi vindicat, id demum positive intelligendum et facultate quadam praeditum est, quam ipsa libertas proprie non habet (2). Quid igitur? Nempe quae

(1) *Esprit des Lois*, Lib. XI. c. 2. Ita Cicero quoque moralem libertatem *potestatem* appellat *vivendi ut velis*, *Parad.* V. c. 1.

(2) Vid. Cl. Heusd. *Socrat. School*, Vol. II. p. 120. sqq.

quae re vera sit libertas, non nisi ratione *status* intelligi posse videtur. Quodsi quaerimus, quis status sit, quae conditio libertatis, hoc ita est expediendum, ut dicamus: *Liber tum demum est dicendus sive homo seu populus, quum non impeditur, quo minus faciat, quod facere debeat.* Intelligitur haec libertatis notio maxime, quando ipsam cum servitute comparamus. Haec utique non jus est, non facultas, non privilegium; sed ea est hominis conditio, qua vel physicâ vel morali ratione eum in modum continetur, ut prorsus prohibitus sit, quominus sua peragat. Similiter de libertate statuendum est: *status* est, non *jus;* sed is status, quo immunes sumus rerum omnium, quae nos impediant, quominus faciamus, quod facere omnino *debeamus.* Nam si v. c. unicuique nostrum agere liceret in civitate, quemadmodum ejus ferret voluntas, nulla prorsus esset libertas. Qua enim ratione in alios nos ageremus, eâdem illi quoque in nos agerent et nunquam neque ipsi in tuto versari possemus, neque bona nostra tranquille possidere.

Paucis hisce de libertatis notione in genere praemonitis, ipsam in *hominis* et *populi* seu *civitatis* libertatem distinctam jam continuo exponamus.

§. 2.

§. 2.

De libertate hominis.

Ubi *hominis* libertatem dico, non eam ad *corpus* referri velim, ut hominis libertas ea sit conditio, qua homo, omnis corporis servitii immunis, alterum non habeat, cui tanquam domino et parere cogatur et servilia ministeria praebere; pertinet haec ad res civitatis et idem valere potest quod libertas civilis. Est vero altera hominis libertas eaque longe praestantior: nam uti universe libertatem statum quendam appellare praestat, ita hominis libertas est status *moralis* et fere tota ad *animum* refertur. Est nempe ea animi conditio, quâ neque affectus, neque lubidines, neque voluptates, neque tandem praejudicatae opiniones hominem impediunt, quominus recte et vivat et agat. Quamobrem animo corpus totum sit subjectum, imo vero serviat prorsus oportet. Hoc enim procul dubio verum est, quod naturâ suâ immortalitate gaudet et ad divinum tendit, in id summum convenire imperium, mortale contra parere ipsi ac servire debere (1). Inde fit, ut habeatur „*τὸ νικᾷν αὐτὸν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη· τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον*" (2). Quodsi pravae cupidinis studia in hominis animo prin-

(1) Plat. *Phaed.* p. 80. A. cf. Sallust. *B. C.* c. 1.
(2) Plat. *de Legg.* Lib. I. p. 626. E.

principatum obtinent et plane dominantur, homo sane liber vocari nullo pacto potest; sed quo ista trahant, eo sequatur oportet, ut denique turpi sit et immani studiorum suorum servituti submissus nec magnopere bruti animalis dissimilis. „Ὅστις γὰρ," aiebat Socrates, „τὰ μὲν κράτιστα μὴ σκοπεῖ, τὰ ἥδιστα δ' ἐκ παντὸς τρόπου ζητεῖ ποιεῖν, τί ἂν διαφέροι τῶν ἀφρονεστάτων βοσκημάτων; ἀλλὰ τοῖς ἐγκρατέσι μόνοις ἔξεστι σκοπεῖν τὰ κράτιστα τῶν πραγμάτων, καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ διαλέγοντας κατὰ γένη, τὰ μὲν ἀγαθὰ προαιρεῖσθαι, τῶν δὲ κακῶν ἀπέχεσθαι" (1). Perfecte autem temperans ille demum est, non qui cum multis voluptatibus atque cupiditatibus, quae ad impudenter et injuste agendum impellant, et pugnaverit et victoriam fuerit consecutus; sed qui a nulla istarum cupiditatum ullo modo vel tangatur vel percellatur (2).

„ *Quisnam igitur liber? Sapiens; sibi qui imperiosus,*
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per laeve morari;
In quem manca ruit semper fortuna" (3).

Agno-

(1) Ap. Xenoph. *Mem.* Lib. IV. c. 5. §. 11., quae Socratis cum Euthydemo de intemperantia confabulatio lectu omnino est dignissima.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. I. p. 647. D.

(3) Horat. *Serm.* Lib. II. *Serm.* 7. vs. 83., sqq.

Agnoscimus facile in hisce Stoicorum de morali libertate doctrinam. Fuit enim hoc celebratissimum eius sectae placitum, *solum sapientem liberum, stultum omnem esse servum*, quod paradoxon copiose expositum apud Ciceronem invenimus. Pauca tandem inde delibare iuvat, quae ad argumentum nostrum uberius explicandum facere videntur. „Quid est libertas?" rogat. „Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere: cuius omnia consilia resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur eodemque feruntur: nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium: cui quidem etiam (quae vim habere maximam dicitur) Fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poëta dixit: suis ea cuique fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etsi ita esse pluribus verbis disserendum est, illud tamen et breve et confitendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem" (1).

Est

(1) Cic. *Parad.* V. c. 1., ubi vidd. Interpr. Conferri etiam meretur Seneca Epist. LI.; *de const. sap.* c. 19.

Est hic, quem hoc loco unice contemplamur, moralis libertatis status. Est autem, ut sponte nostra animadvertimus, miserrimus et hominis fere nomine indignus, quicunque „τὸ ἑαυτοῦ θειότατον ὑπὸ τῷ ἀθεωτάτῳ τε καὶ μιαρωτάτῳ δουλοῦται καὶ μηδὲν ἐλεεῖ" (1), quum ejus, quod optimum in se habet, infirmitate eo perveniat, „ὥςτε μὴ ἂν δύνασθαι ἄρχειν τῶν ἐν αὐτῷ θρεμμάτων, ἀλλὰ θεραπεύειν ἐκεῖνα, καὶ τὰ θωπεύματα αὐτῶν μόνον δύνηται μανθάνειν" (2). Quo autem melius de licentiae ideoque etiam de libertatis moralis statu judicemus, age, ejusmodi hominis miseram sortem e Platonicis maxime chartis explicemus.

Contulit ille in opere *de Republica*, quod *ethicum* potius quam *politicum* dixeris, cum quinque regiminis formis totidem animi humani formas omni ex parte simillimas, quarum pessimam in civitate tyrannidi respondere docet. Quemadmodum autem in optima animi conditione virium diversarum esse dicit harmoniam quandam et concentum, unde emanet libertas; ita in animo ejus, qui tyrannico ingenio sit praeditus, ullam adesse harmoniam negavit. Hic enim una aliqua vehementiori cupiditate regitur et tanta laborat animi perturbatione, ut ejus imperio tanquam saevae sit et crudeli dominationi subjectus. Nascitur ille e viro democratico, qui, in

(1) Plat. *de Rep.* Lib. IX. p. 589. E.
(2) Plat. l. l. p. 590. C.

in juventute ab amicis pudorem appellare doctus *stoliditatem*, temperantiam *ignaviam*, modestiam et moderationem *rusticitatem* et *illiberalitem* (1), omnem deinde deposuit honestatis amorem, et lubidinibus pravisque studiis largiter indulsit. Ubi autem democratici viri filius in dissolutorum hominum consortium venit, hi impetrare id studebunt, ut in ejus animo inhonestae alicujus, veluti amoris, flammam suscitent, „προστάτην τῶν ἀργῶν καὶ τὰ ἕτοιμα διανεμομένων ἐπιθυμιῶν, ὑπόπτερον καὶ μέγαν κηφῆνά τινα," *praefectum segnium cupiditatum et libidinem ei subministrantium, alatum quendam magnumque fucum.* Ubi igitur circa ipsum susurrantes cupiditates ceterae, nidore refertae, unguentis, coronis meroque, fuco indiderint aculeum; tum vero, insaniae satellitio circumstipatus, furit hic animi praefectus, et si quas in se deprehendit opiniones, quae probae exsistant et ad frugalitatem adducantur, exstirpat illas expellitque, donec se purgaverit temperantiâ novâque insaniâ repleverit (2).

Talem viri tyrannici seu intemperantis imaginem praebuit nobis Plato. Nulla in ejus animo cernitur amicitia, nulla inter partes concordia. Servit prorsus homo cupiditatibus. Delabitur εἰς πᾶσαν παρανομίαν, sed ipse non animadvertit; imo vero cum amicis ἐλευθερίαν ἅπασαν nominare solet (3). Ast mi-

(1) l. l. Lib. VIII. p. 560. D.
(2) l. l. Lib. IX. p. 571. A. — 573. B.
(3) l. l. p. 572. D.

misere fallitur. Nam quemadmodum civitas tyranno subjecta libertate civili plane caret, ita necesse quoque est in homine isto tyrannico „τὴν αὐτὴν τάξιν ἐνεῖναι, καὶ πολλῆς μὲν δουλείας τε καὶ ἀνελευθερίας γέμειν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ ταῦτα αὐτῆς τὰ μέρη δουλεύειν, ἅπερ ἦν ἐπιεικέστατα, σμικρὸν δὲ καὶ τὸ μοχθηρότατον δεσπόζειν.—" Quid igitur? (ita porro Glauconem Socrates interrogat) servumne an liberum talem animum esse dices? — Servum equidem vehementer. — Nonne autem servitute et tyrannide pressa civitas minime facit quae velit? — Procul dubio. — Itaque etiam animus veluti tyranno subditus minime quae volet faciet; sed furoris impetu semper distractus, perturbatione erit et poenitentiâ refertus (1).

Fuit haec Socratis et Platonis doctrina, qui uterque stupendos fecerunt in Ethica tractanda progressus, quorumque imprimis philosophia limpidissimus haberi fons potest, unde humanae naturae petamus cognitionem. Equidem certe plurima inde in usum meum depromsi, quorum ope spèro fore ut gravissimam de morali libertate quaestionem porro etiam, si non apte explanare, at satis adumbrare mihi liceat. Utut est, percepimus, ni fallor, ex hisce eam esse moralis libertatis statum, quo hominem, corporis lubidinibus domitis, nulli regant affectus, nullae falsae et praejudicatae opiniones, qui-

(1) Plat. l. l. p. 573. C. — 577. E.

quibus quippe impediatur quominus vitam ac facta recte exsequatur, ut non solum *αὐταρκής*, prout Graeci dicunt, sed etiam *αὐτοκρατής* merito appellari possit (1). Calculum igitur nostrum palmariae adjiciamus Tullii e Stoicis maxime fontibus haustae sententiae, ubi laudatum hujus sectae paradoxon pro solita sua dictionis et vi et elegantia explicat. „An ille mihi liber," ait, „cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit? dandum est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimescendum? Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Atque ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii: pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. At sumus, inquiunt, civitatis principes. Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se

(1) Vid. hac de re locus Platonis, qui est in *Menex.* p. 247. E., a Cicerone expressus *Tusc. Quaest.* Lib. V. c. 12., quem laudat Cl. van Heusde, *Init.* Vol. III. p. 169.

se istarum rerum cupiditatibus dederunt, ipsius servitutis locum paene infimum obtinent. (1)

Verum, hisce utcunque tandem illustratis, ad *civilis* libertatis exponendam notionem nunc continuo pergamus.

§. 3.

De libertate populi sive civitatis.

Veteres, Romani imprimis, qui libertatem ad se tantum pertinere putabant, jus eam duxerunt arcteque conjunxerunt cum civitatis notione, ut qui civitatis jure frueretur, idem simul libertate gauderet (2). Liberos unice cives vocabant, i. e. omnes qui suffragii in comitiis ferendi, honorum petendorum, provocandi aliarumque rerum jus haberent (3). Si vero ita de populi libertate existimari oportet, hodie misera sane est gentium conditio omnesque Europeae gentes libertate nequaquam fruuntur. Est vero populi seu civitatis libertas is status civilis, quo unusquisque in civitate neque civium suorum neque aliorum hominum injuriis prohibetur, ne officia sua peragat, omnino eâ qua honestum civem decet ratione vivat atque agat. Fue-

(1) Cic. *Parad.* V. c. 2. Cf. Seneca *Epist.* LXXX.

(2) Pariter si quis apud Romanos libertatem amittebat, jure etiam civitatis privabatur, quod tum fiebat quum maximam capitis subibat diminutionem; quamquam mediâ capitis diminutione, amissâ civitate, salva erat libertas.

(3) Vid. Ernest. in *Clave Cic.*, voce *Libertas.*

Fuerunt quidem inter recentiores, qui civilem libertatem veluti ei opponerent libertati, qua in *statu*, quem crepant, *naturali* usae aliquando fuisse censentur familiae atque tribus; — primos nempe homines, nulli subjectos imperio, sed in summa vagantes libertate, inductos fuisse statuunt, ut in unum locum convenirent, ut frenos acciperent et regna, ut denique de voluntate sua et libertate partem quandam concederent, quo praestantiori libertate sive civili potirentur; — sed falluntur isti. In statu enim naturali ecquis animadvertit libertatem? Gentes quibusvis injuriis semet invicem perpetuo lacessunt inque servitutem redigunt, ut qui inter eas fortior sit, idem sit liberior. In civitate vero tum liber es, quum nihil obstat, ne facias quod commendet jubeatque justum atque decorum. Haec tamen civilis libertas ita est moderanda, ut re vera libertas dici mereatur. Quippe cives boni justique sensu ducti his ipsi finibus suam circumscribant libertatem oportet, ut ne quod deceat justumque sit aspernati, pro pudore impudentiam, pro justitia injustitiam sinu foveant et temperata illa veraque libertas prae ipsorum petulantia in *nimiam* istam sive *ἄγαν ἐλευθερίαν*, quam Plato vocavit, mox abeat et causa exsistat servitutis. Est autem *nimium* istud non sic accipiendum quasi in civitate libertas possit esse nimia; imo vero libertas vera civibus esse nimia nequit; sed est illa hujus abusus, neque iccirco quae li-

bertatis nomine appelletur digna putatur. Quando enim res eo pervenit, ut plurimum ipse possit populus omniaque ejus arbitrio regantur, non dicenda amplius libertas est, sed *licentia* (1).

Jam aliquoties Platonis *Politiam* inspeximus plurimaque inde in rem nostram convertere haud raro licuit. Et sane, quamvis ipse talem civitatem nunquam in terrarum orbe adesse posse professus sit, qualem in hoc opere suo adumbravit, tamen praecepta eo continentur civitati hodieque saluberrima. In his illud item primarium est, quod de civili libertate in populi licentiam degenerata monuit. Equidem locum illum, quem disertius elegantiusque haud facile tractare licet, hic apponam, quo facilius, licentiâ rite a libertate distinctâ, reliqua oratio nostra procedat.

Postquam igitur docuit Plato, quomodo auri sacra fame interire soleat oligarchia, sic porro cum Glaucone disputat: „Nonne etiam quod democratia bonum esse censet, hujus insatiabilis cupiditas eam item dissolvit? — Ecquod in ea bonum censeri dicis? — Libertatem. Hoc enim sane in populari civitate pulcherrimum esse audias et propterea consentaneum, ut in hac sola degat quicunque natura liber sit. — Crebris profecto sermonibus hoc usurpari solet. — Nonne igitur, quod modo dicere instituebam, hujus rei insatiabilis cupi-

pi-

(1) Cic. *de Rep.* Lib. III. c. 10.

piditas ceterarumque rerum negligentia cum hanc regiminis formam commutat tum in ejusmodi conjicit statum, ut tyrannide indigeat? — Quomodo? — Cum enim (1), opinor, inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes ac remissi sint ac large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat. — Faciunt profecto hocce. — Eos vero, qui parent principibus, ignominiâ afficit, ut servos voluntarios et nihili homines; eos autem, qui in magistratu privatorum esse similes volunt, eosque privatos, qui efficiunt, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus. Nonne necesse est in ejusmodi republica plena esse libertatis omnia? — Quidni? — Eamque, amice, etiam in privatas aedes irrepere, ut et hae omnes vacent dominatione et hoc malum usque ad bestias perveniat? — Quomodo hoc dicimus? — Ita, ut pater filii similis fieri adsuescat metuatque liberos, filius autem patris fiat similis, utque liber sit neque revereatur neque metuat parentes; inquilinus autem civi et civis inquilino sese adaequet pariterque peregrinus. — Fit sane ita. —

Haec

(1) In his et quae sequuntur secutus partim sum elegantem Ciceronis interpretationem, quae exstat *de Rep.* Lib. I. c. 43.

Haec aliaque hujus generis exigua obtinent; magister discipulos metuit iisque blanditur, spernuntque discipuli magistros haud secus ac custodes. Et universe juniores senioribus sese assimilant et verbis factisque cum iis decertant, senes autem ad juvenes se demittentes facetiis et salibus ad satietatem usque indulgent, dum juvenes imitantur, ne ingrati iis esse et imperiosi videantur. — Ita plane est. — Extrema vero, amice, multitudinis libertas quanta sit in ejusmodi civitate, quum qui emuntur, tam servi quam servae, nihilominus liberi sunt quam qui eos emerunt, quantaque mulieribus juxta viros virisque juxta mulieres aequalitas sit atque libertas, paene obliti sumus dicere. — Nonne igitur secundum Aeschylum dicamus, quod nunc *in buccam* nobis *venit?* — Omnino: et ita quidem dico. Nam bestiae, quae sunt hominibus subjectae quanto liberiores sint in illa civitate quam in alia, non facile quis credat, nisi rem ipsam conspexerit. Omnino enim ex proverbio catellae sunt perinde ac herae, et equi asellique perquam libere et graviter incedere consueverunt, ut in obviam quemque incurrant, nisi de via cesserit; atque ita cetera omnia plena sunt libertatis" (1).

Est hic celebratissimus de degenerata populi libertate locus, cujus veritatem cum universe gentium historia, tum nimis, eheu! probavit recentior ae-

(1) Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 562. B. — 563. C.

aetas. Ea autem quum est civitatis conditio, facile animadvertimus quam misere ipsi sint cives affecti. Omnes sese liberos existimant et ne nomen quidem servitutis perferre possunt; sed re vera adeo perturbata sunt omnia, ut unusquisque civium sua officia parum curet, pro lubitu agat et, honestate postpositâ, summâ proximum quemque injuriâ afficere haud vereatur. Libertas igitur nulla est; nam vera civilis libertas non in eo cernitur, ut aliquis quae *velit* in civitate agat, sed quae *debeat*. Quodsi omnes ita vivunt atque agunt, nemo non inter cives, a ceterorum injuriis tutus, cum officia sua peragere potest tum plena civili libertate frui.

Haec de civili libertate monuisse nunc quidem sufficiant, siquidem quae hoc loco dicta sunt, eo tantum valent, ut recte de populi libertate cogitemus. Qua enim ratione in civitate vindicetur libertas, deditâ operâ posthac exponetur.

SEC-

SECTIO POSTERIOR.

AGITUR DE RATIONE, QUA VINDICATUR LIBERTAS.

CAPUT I.

EXPLICATUR RATIO, QUA VINDICATUR *HOMINI* LIBERTAS.

Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Horatius.

Naturâ tam legum quam libertatis expositâ, reliquum est, ut arctam explicem libertatis cum legibus conjunctionem, sive ostendam probemque quomodo harum in civitate spectatâ auctoritate illa civibus vindicetur. Verum persuasit mihi argumenti gravitas, ut eandem in morali libertate viam iniens hujus quoque vindicandae rationem pro viribus indicare conarer. Est quidem, fateor, haec disquisitio ejusmodi, ut non prorsus sit necessaria; sed tamen a re nostra non plane videtur aliena. Maxima enim esse solet virum honestum inter bonumque civem necessitudo; utrumque autem ut ef-

efficerent antiquarum legum imprimis fuit propositum. Quocirca ubi prius viderimus de ratione, qua homini per se vindicatur libertas, item quî illud in civitate factum fuerit fierique soleat, exquirendum est, ut sic velut per *ἐπαναβαθμοὺς* quum sensim adscenderimus, tandem ipsi quaestioni propius spectandae unice vacare possimus.

§. 1.

De ratione, qua vindicatur homini libertas, ex antiquorum et Platonis maxime sententia.

Libertatis moralis suapte naturâ particeps est homo. Accepit enim *rationem*, qua coërcere omnia bene vivendi agendique impedimenta possit. „*Λόγον* appellat Plato *μουσικῇ κεκραμένον· ὃς μόνος ἐγγενόμενος σωτὴρ ἀρετῆς δία βίου ἐνοικεῖ τῷ ἔχοντι*"(1). Docet illud cum Platone imprimis Plutarchus, ubi in libello Περὶ *τοῦ ἀκούειν* ita de morali libertate scribit: „ *Τῷ λόγῳ ἑπομένους ἄξιόν ἐστι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. μόνοι γὰρ, ἃ δεῖ βούλεσθαι, μαθόντες, ὡς βούλονται ζῶσι*" (2). Hac potissimum ratione ab animalibus sumus distincti, quae non habent, quo cupiditates suas frenent earumque jugum effugiant, coguntur vero sequi quocunque trahat lubi-

(1) *de. Rep.* Lib. VIII. p. 549. B.
(2) Vol. VI. p. 135.

bidinum impetus. At vero, praeterquam ratione, aliis est homo dotibus ornatus, quibus communiter adjutus in libertatem se vindicare possit: nam ratio per se non habet virium satis. Videamus, quaenam hac de re prodat philosophia Platonis.

Quum in animum humanum penitus inquireret Plato, id spectabat maxime, ut ad *veritatem*, *libertatem* et *virtutem* homo philosophando perveniret. Philosophus autem non prorsus quidem a sensibus abstineat oportet, dummodo ne in tribus illis sibi comparandis prohibeatur. Καθάρσει, *animi purgatione* opus est, ut ita hic, a corporis vinculis solutus, *αὐτὸς καθ' αὐτὸν* vivat et agat, veritatis fiat compos, liber evadat, virtutem assequatur. Statuit omnino veritatis demum amore id sibi comparare hominem posse, ut libertate morali et virtute gaudeat (1). Etenim comparavit Plato in *Phaedro* dialogo, qui uti poëtico plane sese commendat colore, ita luxurians et juvenile philosophi ingenium satis superque prodit, — comparavit igitur ille animum omnem cum bigis alatis et auriga. Equorum unus bonus dicitur et frenis facile obediens, malus vero alter et contumax, ut adeo nisi recte ab auriga gubernaretur et a socio cohiberetur, vehiculum saepius resupinum caderet (2). Quam animi imaginem si interius perceperimus, facile cupiditatum in animo cum ratione significari certamen de-

(1) Vid. omnino Cl. van Heusde, *Init.* Vol. III. p. 212.
(2) Plat. *Phaedr.* p. 253. D. sqq.

deprehendemus vimque agnoscemus amoris. Malus iste equus seu ὁ Ἔρως πάνδημος, quem Plato in *Symposio* (1) depinxit, prava omnia appetit, turpissimis studiis repletus. Frenatur autem et comprimitur ab auriga sive *recta ratione*, qui tamen, quamvis sapienti gubernatione utens, per se vix equi contumaciam et petulantiam coërceret, nisi auxiliaretur aurigae bonus ille, modestiae ac pudoris plenus veraeque opinionis amicus equus. Est hic alter ille amor, ὁ Ἔρως, uti vocatur, οὐράνιος, veri rectique amor, e bonorum affectuum numero. Is enim vi sua rationi ubique assiduum se socium praebere solet, quo fit, ut frenare et domare ratio cupiditates satis possit totumque animum ad veritatem, libertatem et virtutem adducere (2).

Sed quod Plato juvenis inceperat, id senescens persecutus est et accuratius explicuit in libris *de Republica*. Memorat ibi tres civium in republica ordines, τὸ φυλακικὸν sive principes, τὸ ἐπικουρικὸν sive custodes, τὸ χρηματιστικὸν sive opifices ceteramque turbam, bonis malisque, sed insipientibus omnibus compositam, cujus gubernandae cura principibus est demandata. Hi autem, quamvis egregii viri, officio recte obeundo non pares sunt, nisi auxilientur ipsis custodes. Pari modo in animo humano rem sese habere dicendum est, in quo distin-

(1) Plat. *Symp.* p. 180. D. E.

(2) Vid. Cl. van Heusde, l. l. p. 25. & 178. sq.; *Socratische School*, Vol. II. p. 282. sqq.

stinguuntur tres item partes, singulis in civitate ordinibus respondentes, τὸ λογιστικὸν scilicet, τὸ θυμοειδὲς et τὸ ἐπιθυμητικόν. — Τῷ ἐπιθυμητικῷ isto significantur prava omnia studia, cupiditates, libidines, quae non nisi ratione seu τῷ λογιστικῷ frenari possunt; sed pariter atque in civitate multitudinem sine custodum auxilio vix cohibent magistratus, desiderantur in animo τοῦ θυμοειδοῦς vires, quibus τὸ λογιστικὸν adjuvetur et sustentetur. Quodsi ita animo nostro omnia sunt comparata, harmonia quaedam inter varias vires obtinet, liber est animus, atque verum rectumque assequi studet (1).

Utrâque hacce Platonica imagine optime illustrari videtur, quo tandem modo ad moralem libertatem perveniendum homini sit. Bonus ille equus τοῦ θυμοειδοῦς robore munitus, ductus maxime veri rectique amore, talem praestat rationem, quae sapienti moderamine animum gubernet. Θυμὸς iste a puero inde in homine inest et *ira*, *impetus*, *voluntas* etiam vel alio simili nomine vocari possit; sed veri rectique studio alatur oportet, ut rationis jussis lubenter obsequatur, harmonia in animo obtineat vigeatque ἡ ἐπὶ μὲν τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνη, ἐπὶ δὲ τοῖς καλοῖς φιλοτιμία, sine qua neque civitas neque homo etiam ulla praeclara facinora edat. Verum, quod saepius inculcavi, id iterum hoc loco in-

(1) Plat. *de Rep.* Lib. IV. p. 440. E. sqq.

inculcandum et vero disertius exponendum est: *sine veri rectique amore nulla est moralis libertas.* Age, denuo illud e Platone delibemus.

Sermonibus cum Gorgia, Polo, Callicle ad finem fere perductis, miserum sibi eum videri dicit in *Gorgia* dialogo Callicles, qui coram judice, licet innoxius, neque sibimet ipsi neque aliis succurrere dicendo et auxiliari possit. Tum vero sic fere Socrates: „Mihi quidem," inquit, „is minime miser esse videtur, qui neque adversus homines neque adversus Deos injusti quid vel dixerit unquam vel perpetraverit. Hoc scilicet ajo praestantissimum esse auxilium, quod sibi ferre homo queat, ut nullâ pallescat culpâ. Ipsam enim mortem nemo sapiens reformidat; injusta vero facinora reformidat, quorum poenas novit post mortem etiam esse consecuturas. Summum enim omnium malorum est animo vitiis repleto ad inferos migrare." Insertâ tum narratione de futura animorum post hanc vitam conditione deque judicio in inferis instituendo, sic pergit Socrates: „Ego igitur, o Callicles, his narrationibus fidem habeo et dispicio, quî ad judicem veniam animo quam sanissimo ornatus. Itaque missis humanis honoribus, *veritatem* respiciens, conabor re vera, quoad potero, optime et vivere et, ubi moriar, mori. Cohortor autem ceteros quoque omnes, quoad possum, et vero te etiam vicissim cohortor ad hancce vitam, ad hocce certamen, ut magis *esse* quam *videri* boni videamur.

Par-

Parvi igitur ducamus hominum tam existimationem quam vituperationem. Ducem adhibeamus rationem, ut justitiam ceteramque exercentes virtutem, tum vivamus tum moriamur" (1).

Ita philosophando viam ad moralem libertatem sibi sternere coeperunt antiqui; nos vero rem aliunde petimus nec sumus philosophiâ contenti. Quae quidem diversa ratio nostra ab antiquorum sententia idoneam praebere materiem videtur, de qua jam altero loco agatur.

§. 2.

De variâ, quam et antiqui philosophi secuti sunt et nos sequimur ad moralem nobis vindicandam libertatem, viâ.

Vindicatur nobis moralis libertas e sententia antiquitatis *philosophia*, e nostrâ *Dei cultu* sive *religione* (2).

Religio apud antiquos continebatur maxime tum ritibus ac caerimoniis, tum mythologia sive fabulis de Diis Deabusque, imprimis uti apud Ovidium exstant, quarum quaedam philosophiae et Ethicae adeo praecepta tradebant. Iccirco non habebat religio quo cultiorum hominum animos expleret. My-

(1) Plat. *Gorg.* p. 522. C. ad fin. dial.

(2) De hac ut libertatis moralis vindice Vid. Cl. van Heusde, *Socrat. School*, Vol. II. p. 193. sqq.

Mysteria vero, quae altera erat veterum, sed eruditiorum hominum religio, Orpheo maxime et Musaeo auctoribus instituta, interiorem doctrinam continebant spectabantque cultum hominis et ejus post hanc vitam conditionem, verbo, rerum gravissimarum principia complectebantur (1). Animadverterunt ita viri veritatis studiosi popularis religionis egestatem, atque sic factum est, ut praestanti mysteriorum doctrinâ edocti, inquisiverint in naturam tam Dei quam hominis, morali omnino philosophiae studuerint. Socratis autem tempore exstiterunt Sophistae, mirabili quidem ingenio praediti homines, sed simul moralis philosophiae principiis destituti (2), quo non poterant non vehementer morum integritati nocere. Eorum doctrinae unus omnium maxime sese opposuit Socrates, verae philosophiae parens, quum primus eam e coelo devocaret et in urbibus collocaret et in domos etiam introduceret et cogeret de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere (3). Philosophiam scilicet omnem a divino praecepto Γνῶθι σεαυτὸν ducendam esse statuit et mirabiles fecit in morali doctrina progressus, quos clara postea in luce posuit ejus di-

(1) Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 14.

(2) Sic Gorgias, ut hujus exemplo utar, statuebat non cohibendas esse cupiditates, si quis qualem deceat se praestare vellet, sed esse unius cujusque quam maximas eas esse sinere et parare iis undecunque expletionem; hoc autem audire virtutem; argum. Plat. in *Gorg.* p. 492. D.

(3) Cic. *Tusc. Quaest.* Lib. V. c. 4.

discipulus Xenophon, locupletavit Plato. „Οὐ τὸ ζῆν, docebat Socrates, περὶ πλείστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν" (1). Plato autem, quem ceteri deinceps fere secuti sunt philosophi, philosophiam uti παιδείαν appellavit, ita excoluit etiam tanquam institutionem hominis finemque ejus esse voluit τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ. Quapropter cultum imprimis spectabat hominis et moralem perfectionem, ut tandem artium ac disciplinarum ope ipsum pulchrum, verum, justum sanctumque contemplaretur.

Hoc quum esset philosophiae post Socratem maxime et Platonem propositum, commode illa a Cicerone *ars vitae* (2), *vitae parens* (3), *animi medicina* (4) dicta esse videtur, quippe quae sola bene vivendi praecepta traderet doceretque, quomodo μετὰ νοῦ τε καὶ δόξης ὀρθῆς λογισμῷ, ut Plato loquitur (5), ducendae et cohibendae essent pravae nostrae cupiditates, falsae autem opiniones, gravissima ista vitae recte degendae impedimenta, penitus eruendae. Quid enim valere possit, si recte adhibeatur, philosophia ad animi concentum stabiliendum sive χείρονός τε καὶ ἀμείνονος κατὰ φύσιν ξυμφωνίαν, ὁπότερον δεῖ ἄρχειν ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ (6), vel e sola Platonis *Politiá* apte efficias; sed vel sic ta-

(1) Plat. *Crit.* p. 48. B.
(2) *de Fin.* Lib. III. c. 2. init.
(3) *Tusc. Quaest.* Lib. V. c. 2.
(4) l. l. Lib. III. c. 3.
(5) *de Rep.* Lib. IV. p. 431. C.
(6) l. l. p. 432. A.

tamen, quo manifestius declaretur laudata philosophiae vis, audiamus tandem, quaeso, in *Phaedone* Socratem de morali libertate cum Simmia et Cebete disputantem. „ Quicunque," inquit, „ non discendi ardore flagraverit et deinde plane purus hinc abierit, ei ad Deorum genus nefas est pervenire. Sed iccirco, optime Simmia et Cebes, qui recte philosophantur, abstinent ab omnibus corporis voluptatibus. Eas spretas nequaquam sequuntur, utpote qua via incedant nescias; ipsi vero philosophi existimantes non oportere philosophiae quempiam adversari, quum animum a corpore liberare et purgare studeant, philosophiae totos sese tradunt, sequentes qua illa ducat. Norunt enim philosophiam ipsorum animum, in corpore vinctum prorsus et per corpus veluti per carcerem quendam res contemplari coactum, suscipere et sensim admonere ac solvere conari, ostendentem, fallax esse oculorum, fallax item aurium atque sensuum ceterorum judicium, tum etiam suadentem, ut ab his quantum possit discedat, se ipsum inde revocet et colligat, nec ulli praeterquam sibi fidem habeat. Denique philosophi animus, comparans sibi tranquillitatem voluptatum et dolorum, obsequens rationi et semper in eo occupatus, ut verum, divinum, simplex contempletur ejusque contemplatione piscatur, ita sibi vivendum esse censet, quam diu vivat; ubi vero hinc discesserit inque cognatum locum pervenerit, malis humanis se liberatum iri

F pu-

putat (1). Vitae enim curriculo peracto, „*οἱ τῇ ἀληθείᾳ δρομικοὶ εἰς τέλος ἐλθόντες τά τε ἆθλα λαμβάνουσι καὶ στεφανοῦνται*" (2).

Fuit haec philosophandi ratio quam optimi quique inter antiquos sequerentur, haec philosophia, cui serviendum plane putarent (3). A molesto corporis onere remotum vere demum recteque animum philosophari posse existimabant, ut omnes arcerentur libidines omnesque exstrinsecus allatae atque a vera philosophia alienae opiniones, ut ipse tandem animus *αὐτὸς καθ' αὑτὸν* agens libere omnia exsequeretur, ad plenam denique homo perveniret per philosophiam libertatem. „Nam corpus hoc (ajebant) animi pondus ac poena est: premente illo urgetur, in vinculis est, nisi accessit philosophia: et illum respirare rerum naturae spectaculo jussit, et a terrenis dimisit ad divina. Haec libertas ejus est, haec evagatio; subducit interim se custodiae in qua tenetur, et caelo reficitur. — Sapiens assectatorque sapientiae adhaeret quidem in cor-

(1) *Phaedon.* p. 82. B. — 84. B.

(2) *de Rep.* Lib. X. p. 613. C., quocum comparat Stallbaumius Pauli Apost. *Epist.* I. *ad Corinth.* IX.: 24.; *Epist.* II. IV.: 9.; *Epist. ad Philem.* c. III.: 14. Primum locum recte confert Vir doct., uterque reliquus nequaquam conferri potest. Pro his tamen comparari meretur ejusdem Apostoli *Epist.* II. *ad Timoth.* IV.: 7, 8.

(3) Nota est Epicuri aliorumque sententia: „*Philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas.*" Legitur apud Senecam *Epist.* VIII.

corpore suo, sed optimâ sui parte abest, et cogitationes suas ad sublimia intendit, et velut sacramento rogatus, hoc quod vivit stipendium putat: et ita formatus est, ut illi nec amor vitae nec odium sit, patiturque mortalia, quamvis sciat ampliora superesse" (1). Hanc igitur philosophiae vim, si quis alius, optime percipiens, eximiis hisce verbis ejus laudem complexus est Romanorum Plato: „O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. ad te confugimus: a te opem petimus: tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. Cujus igitur potius opibus utamur quam tuis? quae et vitae tranquillitatem largita nobis es et terrorem mortis sustulisti" (2).

Ita ad philosophiam confugiebant antiqui et inde omne solatium quaerere, inde quid verum esset exquirentes, libertatem moralem et virtutem vin-

(1) Seneca *Epist.* LXV.

(2) Cic. *Tusc. Quaest.* Lib. V. c 2. Cff. tum hujus capitis initium tum Lib. III. c. 6.

vindicare sibi conabantur. At vero uti philosophia nos praeparare dici potest ad rectam inveniendam viam, qua libertatem nobis moralem vindicare possimus et προπαιδεία quaedam haberi, vel sic tamen altius tendunt religionis Christianae praecepta. Ea item summatim exploremus.

Philosophiam igitur, qua alteram sibi reperire religionem videbantur antiqui, apud nos excepit religio Christiana, cujus praecepta plenam et omnibus suis numeris absolutam continent de morali hominis perfectione doctrinam. Ex his Deum agnoscimus tanquam summi boni inter homines auctorem, nullis obnoxium vitiis, perfectissimum omnino virtutis et clementiae exemplar, illud denique Numen, quod, humanam sapientiam longe longeque superanti imperio cuncta gubernans, bonis se benevolum, malis ultorem praestare solet. At agnoscimus simul humani generis pravitatem quantaque Dei benevolentiae cum in hacce tum in altera illa vita debeamus. Cogitabant antiqui philosophi facili se operâ, modo virtutem coluissent, post mortem aeternam felicitatem consecuturos; quocirca suâ virtute nisi in vitae bene actae conscientia omnem suam futurae vitae spem reponebant. Nos hanc unice a Dei benevolentia et liberalitate exspectamus, neque ullis vel optimis nostris facinoribus merita tribuere solemus (1). Est hujus potissimum erga hu-

(1) Vid. hac de re J. H. Scholten, *Disq. de Dei erga hom. amore*, Traj. ad Rh. 1836. p. 4. sqq.

humanum genus amoris et clementiae perpetua recordatio, quae acerrimus exsistere potest ad eum colendum stimulus. Nos nihili homines sumus et erroribus quotidie obnoxii; Deus vero nostri miseritus e malis nos liberavit per filium suum Jesum Christum, ita tamen ut ipsi serviremus nec hac libertate freti in peccatis perseveraremus (1). Virtutem igitur exerceamus necesse est, ut hac vitâ probe peractâ aeternae felicitatis beneficium accipiamus, quam promisit omnibus, quotquot ipsi serviverint. Quocirca nostrum est, ut veri rectique amore ducti in res omnes inquirentes, quod vero bonum est retinentes, virtutem assequi nitamur, quae omne suum habet in Dei cultu fundamentum. Ipso Deo nihil potest excogitari perfectius; praecipit adeo nihil nisi quod bonum justumque sit. Jam vero, quum cernatur moralis nostra libertas in pravitatis cujusque immunitate ejusque principium habendum sit virtutis studium, vix fieri aliter potest, quin Deum colendo, id est, Dei praecepta observando atque ita, corpore ejusque cupiditatibus missis, virtutem in deliciis habendo moralem nobis vindicemus libertatem. Quae quo majore studio observamus, eo pleniore gaudemus libertate: nam etsi optimis sumus facultatibus ad virtutem instructi ideoque aliquando factorum dictorumque rationes reddere debebimus, vel sic tamen (ea scilicet est nostra im-

(1) *Epist.* I. Petri II.: 16.

imbecillitas) tantus interdum est cupiditatum impetus ut, bonâ nostrâ voluntate earum mole obrutâ, prava pro bonis venemur et vitio tantum non delectemur.

Itaque curare id homo imprimis debet, ut moralem suam emendet conditionem, quia, prouti supra animadversum est, hominis libertas quamvis quaedam sit immunitas omnium, quae ne vitam recte degat ipsum impediant, continetur tamen pariter studio boni verique, ut hac tandem via ad maximam perveniamus homini concessam perfectionem. Id autem exsequi nullo modo possumus, nisi Deo nos assimilare virtute nitamur, id est Deum pro virium ratione debitis honoribus prosequi. Quod quidem erga Deum officium ut lubenter praestemus ipsa ratione nostra monemur, quum sit ille humani generis creator et servator, summâ et sanctitate et benevolentiâ insignis. Quae si toto animo observamus, si Deum iis quibus decet honoribus afficimus ejusque praeceptis, justioribus et perfectioribus quam sunt justissimae perfectissimaeque in civitate humana leges, studiose paremus, tum sane serviendo Deo veram nobis libertatem comparamus nihilque nos impedit, quominus in *mundo*, ut ita dicam, *morali* felicitate summâ gaudeamus. Tum Dei praecepta in hominem eam habent vim, quam habent in civem leges. Illis morum probitatem servare et sanctitatem jubemur, ut animus liber sit

ab

ab omni pravitate et nequitia, his corpus cujusvis injuriae immune praestatur. Moralis libertatis principium est Deo se submittere ejusque voluntati, civilis colere civilem societatem legesque civitatis.

Est igitur ea nostrae religionis praestantia, ut e divina patefactione accuratiorem de Dei perfectione et consummata erga homines benignitate notitiam acceperimus atque ita ad plenam libertatem nobis comparandam maxime idonei simus. Antiqui autem philosophi Socrates, Plato, Cicero aliique, qui egregie jam de divina natura philosophari coeperunt, philosophiâ suâ moralem libertatem sibi vindicare omnino potuerunt, quum quoad viam maxime a nobis discreparent. Rectâ autem ratione philosophando ad veram notitiam, quam nos de Deo e patefactione divina accepimus, accedere illi facile potuisse videntur. Nam quaecunque de Deo patefacta nobis sunt, ita sese habent, ut apprime conveniant cum iis, quae de natura divina et humana, de virtute, de vitiis aliisque aut scire aut rationis ope suspicari possumus. Iccirco quod antiquitus per philosophiam efficere maxime studebant, id nos Dei cultui tribuimus statuimusque divinae tantum voluntatis obsequio, imo servitio Dei plenam nobis vindicari libertatem moralem (1).

Expo-

(1) Fuerunt tamen jam inter veteres, qui in Dei servitio libertatis moralis fundamentum ponere haud dubitarent. Seneca *de vit. beat.* c. 15. f.: „*Deo parere*," inquit, „*li-*

Exposui haec quatenus id sinebat virium mearum imbecillitas. Plurima fortasse levius attigero; sed theologum me nequaquam profiteor. Quae autem atuli sufficere videntur ad utramque cum antiquorum tum recentiorum cognoscendam moralis libertatis vindicandae rationem et viam. Quapropter hisce fine imposito, inquirendum quomodo *in civitate* homini illa vindicari soleat et antiquitus vindicata fuerit.

§. 3.

De ratione qua vindicatur homini in civitate *libertas.*

Dicat fortasse aliquis: „Unicuiusque hominis est, ut comparet sibi libertatem moralem; neque igitur hujus in civitate ratio habenda est, sed unice libertatis civilis." Verum enim vero sive civitas seu is, cui ejus regundae mandata est potestas, summam omnino vim habere putandus est in singulorum civium comparandam libertatem moralem. Fit autem illud aptâ puerorum institutione, ut ope rationis voluptates suas castigando virtutem sibi et moralem libertatem vindicare atque ita boni fieri homines, boni item cives mature pueri discant.

Quum

„*libertas est*," quocum confert Lips. sententiam Philonis: „Θεῷ δουλεύειν, οὐκ ἐλευθερίας μόνον, ἀλλὰ καὶ βασιλείας ἄμεινον."

Quum supra de legibus agerem, paucis jam ostendi, bonis moribus et virtuti adeo egregie fuisse apud antiquos consultum publica puerorum institutione. Et sapienter sane tantum illi hujus rei curam habuerunt, quum pro prudentia sua optime intelligerent, quanta intercedat bonum virum inter et bonum civem necessitudo, ut male educatus puer neque virtutem colere doctus civem honestum se praestare nequaquam posse existimarent, imo summo esse civitati detrimento. Quippe „*αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ, καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖσθαι, ταῦτα πληροῖ τὰ λῃστήρια, ταῦτ' εἰς τὸν ἐπακτροκέλητα ἐμβιβάζει, ταῦτά ἐστιν ἑκάστῳ Ποινὴ, ταῦτα παρακελεύεται τοῖς νέοις σφάττειν τοὺς πολίτας, ὑπηρετεῖν τοῖς τυράννοις, συγκαταλύειν τὸν δῆμον*" (1). Inde Lycurgus summam et caput omnium legum ferendarum retulisse fertur ad educationis disciplinam (2); inde Lacedaemoniorum liberis non conducti praeponebantur vel mercenarii paedagogi, neque poterat quisquam pro arbitrio alere et instituere filium; sed omnes, ut septimum annum excesserant, probatis civibus educandi tradebantur (3). Ita factum, ut omnes civitates morum probitate Sparta antecelleret solaque publice virtutem exerceret (4). Athenis autem licet suos quisque liberos educaret, or-

(1) Aesch. *Orat. in Timarch.* p. 27.
(2) Plutarch. *vit. Lycurg.* c. 13.
(3) l. l. c. 16, 17.
(4) Xenoph. *de Rep. Laced.* c. 10. §. 4.

ordo tamen artium et disciplinarum legibus erat praescriptus. Uti gymnastica corpus, sic animus musica excolebatur, ut εὐρυθμότεροι et εὐαρμοστότεροι facti tum ad dicendum tum ad agendum essent idonei (1). „Nam ut in fidibus aut in tibiis, — sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet, vel multo etiam magis, quo major et melior actionum quam sonorum concentus est" (2). Quapropter Athenienses cum viderent adolescentia nullam aetatem magis turbulentissimis affectibus agitari plurimisque redundare cupiditatibus, maxime necessariam ducebant ita illam institui, ut honestis studiis et temperatis voluptate laboribus gauderet (3).

Neque aliter rem apud Romanos optima aetate sese habuit. Quemadmodum enim ipsa civitas per peculiarem magistratum civium moribus prospiciebat, ita in instituendis liberis patres familias summam posuerunt curam. „Suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur; cujus praecipua laus erat, tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem aliqua natu major propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis cujuspiam familiae suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, ne-

(1) Plat. *Protag.* p. 326. B.
(2) Cic. *de Off.* Lib. I. c. 40.
(3) Isocr. *Orat. Areopag.* p. 148.

neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundia temperabat. — Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra, et nullis pravitatibus detorta, uniuscujusque natura toto statim pectore adriperet artes honestas" (1). Denique Charondam *proöemium legum memoriae mandari ac publice inter epulas sollennes decantari* diserte jussisse perhibent, quo maturius ad colendam virtutem incitarentur adolescentes (2).

Patet ex hisce, quomodo antiquitus civitates consulendo civium a pueris inde virtuti seu, quod hic ad idem propemodum redit, morali libertati, viam simul ipsis straverint ad libertatem civilem. Nec mihi subtili opus videtur disquisitione, num adolescentia habenda sit ad comparandum sibi libertatem idonea hominis aetas; siquidem unusquisque sponte sua intelligit, alteram nullam inveniri, quae similem in ceteram hominis vitam vim exercere et possit et soleat. Hoc enim proprium juventuti imprimis esse constat, ut quae semel conceperit, sive virtutes seu vitia sint, ea provectiore aetate, quum insigne ceperint incrementum, exprimat plane vita et moribus. Molles sunt hac aetate tenerique hominum animi, maximeque tum fingitur et induitur forma, quam quis velit unicuique imprimere (3). Primi puerorum

(1) Auct. *Dial. de Oratt.* c. 28.
(2) Vid. Heyn. *Opusc.* Vol. II. p. 109.
(3) Plato *de Rep.* Lib. II. p. 377. B.

rum sensus secundum Platonem *voluptas* sunt et *dolor*, per quos virtutes primum et vitia animo suscipiuntur. Quapropter voluptas et amicitia et dolor et odium, quamvis nondum rationis facultate utantur, recte in animis eorum educatione sunt ingeneranda, ut sensim illam rationis facultatem consecuti huic ipsi rationi consentiant atque adeo praeclaros accipiant laudabilesque mores. Haec enim concordia universe virtus est. Eveniet ita, ut ipsi pueri fugiant quae fugienda, appetant quae appetenda sunt, et quae prius consuetudine egerint, tum ratione agant virique perfecti exsistant (1), id est, cum imperare norint tum parere cum justitia (2).

Dignissimus omnino Plato est, qui de recta puerorum institutione consulatur, quippe qui in variis suis scriptis datâ operâ egregie eam exposuerit. Et in *Protagorâ* quidem, ut ab hoc ordiamur, praeclara exstat lex, in educatione cum infantiae, tum pueritiae et adolescentiae observanda. Parentes, nutrix, magister, omnes id studeant, ut quam optimus puer evadat, tam verbis quam factis docentes, quae agenda sint, quae omittenda. Ubi autem traduntur pueri ludimagistris, minus literarum et citharae ratio habenda est quam morum decoris. Posteaquam igitur literas didicerint scriptaque intelligunt, pueris apponenda a magistris sunt poëtarum carmina, quibus multa contineantur monita, narrationes, laudes, virorum celebrium enco-

(1) Plat. *de Legg.* Lib. II. p. 653. A. — C.
(2) l. l. Lib. I. p. 643. E.

comia, ut pueri accensi aemulatione illos imitari studeant et tales ipsi evadere (1). In libris autem *de Republica* de principum et custodum in civitate sua educatione plurima atque eximia prorsus praecepta Plato tradidit, secundum quae juvenes instituendi ad virtutem essent, ut ad virilem aetatem quum accessissent, probi honestique viri evaderent. Ejecit igitur tantum non omnes e civitate sua poëtas, quippe qui pravis de Diis opinionibus juvenes imbuere solerent. Nam in pietate erga Deos Plato omnis virtutis principium posuit. In seligendis autem poëtarum locis, qui cum juventute communicarentur, id ex ejus sententia maxime spectetur oportet, ut ad virtutem excitandam, augendam firmandamque comparati sint. Deus ideo iis talis est describendus, qualis revera est, id est, bonus. Nam in divinum numen turpitudo non cadit neque Deum malorum auctorem appellari fas est. Deum porro tanquam praestigiatorem quendam proponere et iccirco varias formas induentem non licet, siquidem numen ejus sit simplex et propter perfectam virtutem summamque praestantiam nulli mutationi obnoxium. Quocirca si his contraria proferunt carminibus suis poëtae, morum corruptelam inducentes in civitatem, nullo modo sunt ferendi, sed „χαλεπανοῦμέν τε καὶ χορὸν οὐ δώσομεν, οὐδὲ τοὺς διδασκάλους ἐάσομεν ἐπὶ παιδείᾳ χρῆσθαι τῶν νέων, εἰ μέλλουσιν ἡμῖν οἱ Φύλακες θεοσεβεῖς τε καὶ

εἶσι

(1) Plat. *Protag.* p. 325. C. — 326. A.

θεῖοι γίγνεσθαι, καθ' ὅσον ἀνθρώπῳ ἐπὶ πλεῖστον οἷόν τε" (1).

Nec pietate tantum et religione imbuendos esse futuros custodes docuit Plato, sed omnia etiam voluit arceri quae frangere possent aut debilitare eorum fortitudinem, veritatis amorem, justitiam, temperantiam; cujus quidem virtutis duas ille constituit partes, obedientiam in magistratus et abstinentiam a voluptatibus (2); qua in re egregie profecto duplex cernitur educationis vis, ut et probos homines et vero probos cives efficiat. Quocirca quaecunque facere possunt ad imminuendam magistratibus debitam reverentiam, quaecunque ad prava studia excitanda sunt idonea, summo studio celari pueros debent, ut tandem una cum civili moralem etiam libertatem adipiscantur. Fit autem hoc musicâ imprimis, ut quae animum instruat exornetque suo ipsius ornatu, temperantia, justitia, fortitudine, libertate et veritate (3). Uti igitur lex omnibus civibus pariter prospicit, „*ἵνα εἰς δύναμιν πάντες ὅμοιοι ὦμεν καὶ Φίλοι, τῷ αὐτῷ κυβερνώμενοι*," sic pueros non sinimus esse liberos, „*ἕως ἂν ἐν αὐτοῖς ὥςπερ ἐν πόλει πολιτείαν καταστήσωμεν, καὶ τὸ βέλτιστον θεραπεύσαντες τῷ παρ' ἡμῖν*

(1) Plat. *de Rep.* Lib. II. p. 379. A. — 383. C. Eximie Platonicam de puerorum institutione sententiam adumbravit Cl. den Tex, *Disp. de vi musices*, &c. p. 10. sqq.

(2) Plat l. l. Lib III. p. 389. D.

(3) Plat. *Phaed.* p. 114 E.

ἡμῖν τοιούτῳ ἀντικαταστήσωμεν Φύλακα ὅμοιον καὶ ἄρχοντα ἐν αὐτῷ· καὶ τότε δὴ ἐλεύθερον ἀφίεμεν" (1).

Pariter in libris *de Legibus* Plato passim de recte educanda juventute praecipit. Turpe habet corporis dotibus praestare, animum neglexisse. „Οἱ δὲ ἡμέτεροι παῖδες (ita hospes Atheniensis cum Clinia confabulatur) ἀδυνατήσουσι καρτερεῖν, πολὺ καλλίονος ἕνεκα νίκης, ἣν ἡμεῖς καλλίστην ἐκ παίδων πρὸς αὐτοὺς λέγοντες, ἐν μύθοις τε καὶ ῥήμασι καὶ μέλεσιν ᾄδοντες, ὡς εἰκὸς, κηλήσομεν. — Ποίας; — Τῆς τῶν ἡδονῶν νίκης ἐγκρατεῖς ὄντας ἂν ζῆν εὐδαιμόνως· ἡττωμένους δὲ, τοὐναντίον ἅπαν" (2). Neque minus moralis libertatis in civitate confirmandae viam e Plutarcho cognoscimus. Memoravimus jam in superioribus quaedam ejus de morali libertate ad Nicandrum verba. Totam nunc illam sententiam apponamus. „Σὺ δὲ πολλάκις ἀκηκοὼς," inquit, „ὅτι ταὐτόν ἐστι τὸ ἕπεσθαι θεῷ καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, νόμιζε, τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς εὖ Φρονοῦσιν ἀποβολὴν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινος ἢ ἀργυρωνήτου, θεῖον ἡγέμονα τοῦ βίου λαμβάνουσι τὸν λόγον, ᾧ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐστι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. μόνοι γὰρ, ἃ δεῖ βούλεσθαι, μαθόντες, ὡς βούλονται, ζῶσι. Ταῖς δὲ ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξεσιν ἀγεννὲς ἔνεστι καὶ μικρὸν ἐν πολλῷ τῷ μετανο-

(1) Plat. *de Rep.* Lib. IX. p. 590. E., 591. A.
(2) Plat. *de Legg.* Lib. VIII. p. 840. B. C.

νοοῦντι τὸ ἑκούσιον" (1). Praeceptoribus igitur, quorum spectatae virtutis curam maximopere gerat bene morata civitas, id imprimis studendum est in instituenda juventute, ut in juvenum animis rationis vim alant, eam ita regant et ad virtutem dirigant, ut ipsi tandem juvenes, suo Marte virtute religiose colendâ, moralem sibi libertatem vindicent. Et ita profecto est. Homini per se libertas vix vindicabitur; quocirca morali institutione discat oportet, quomodo et possit et debeat cupiditates subigere et liber evadere. Quodsi enim civitas puerorum institutionem parum curat, parentes tantum non negligunt, fieri aliter vix potest quin, naturali libertate amissâ, puer ad virilem aetatem adultus saevo pravarum opinionum, cupiditatum, voluptatum adeo imperio eum in modum subjiciatur, ut in vilissimam detrudatur servitutem nec qui homo appelletur amplius dignus sit. Quum vero antiquitus morum emendandorum viae legibus praescriberentur et philosophiâ, nos eam inimus rationem, ut eas e rerum maxime cognitione et doctrina percipiamus, et quoniam religio nostra Christiana Ethicam sibi vindicavit, ab hac omnem petamus institutionem, cum puerilem tum provectioris aetatis. Denique, utut est, sive philosophia seu religione animi correctionem et libertatis vindictam tibi conquirere studeas, verissima haec manet Ciceronis sententia: „ Quodsi tales nos natura ge-

(1) Plutarch. Περὶ τοῦ ἀκούειν, Vol. VI. p. 135.

genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere eâdemque optimâ duce cursum vitae conficere possemus: haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc parvulos (1) nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur: ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magistris redditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat" (2).

(1) Leg. *parvulis* de conj. Cl. Heusdii, quae exstat in laud. filii *Disq.* p. 157.
(2) Cic. *Tusc. Quaest.* Lib. III. c. 1.

CAPUT II.

EXPLICATUR RATIO, QUA VINDICATUR *CIVI* LIBERTAS.

> Πόλις, ἐν ᾗ μάλιστα οἱ πολῖται τοῖς νόμοις πείθονται, ἐν εἰρήνῃ τε ἄριστα διάγει καὶ ἐν πολέμῳ ἀνυπόστατός ἐστιν.
>
> Socrates ap. Xenoph.

Attigi supra, quum de auctoritate agebam, quam legibus Veteres deberi existimarunt, arctam quae intercedit legum cultum inter et probos civium mores necessitudinem, ut ab his illam pendere statuerem. Nunc autem id plenius est explicandum ex ipsis antiquae Politicae principiis docendumque, qua ratione fieri possit, ut legibus colendis libertas civitati vindicetur, quod ipsum Historiae testimonio seorsum probetur oportet. Qua tamen in re non ita versabor, ut cum pulvisculo omnia exhauriam omnesque examini submittam civitates antiquas. Nam, praeterquam quod id haud postulari propositâ quaestione videtur, vetant ne ad amussim rem exigam, cum arctiores commentationis fines, tum vero etiam (quid enim negem?) virium mearum tenuitas. Accedit, quod ipsum argumentum

non

non omnium civitatum historiâ pariter probari possit, certe non ita perspicue. Attendam iccirco e Dorico orbe unam Lacedaemonem, ex Ionico Athenas. Romanam civitatem separatim item tractabo. Rem igitur explicemus.

§. 1.

Ex antiquae Politicae principiis.

Dictum est, qua reverentia prosecuti antiqui leges in civitate fuerint, ut legem tanquam dominam imperare sibi facillime paterentur. Valet autem hoc de optima gentium aetate. Uti enim antiquitus leges moribus erant nisae et veluti superstructae, ita patet vigentibus moribus viguisse item civitates, cultas fuisse leges. Tum enim inerat civium animis, quo ad legum *ἐθελοδουλείαν* praestandam sua sponte ducerentur; tum explicata erat vis virtutis. Nam si quis proba animi indole probisque moribus sese commendat, legum servitium non tolerat tantum, sed etiam tanquam suae et civitatis salutis praesidium diligit. Infixam nempe animo habet immutatamque, quam a natura accepit, *αἰδῶ τε καὶ δίκην*. Utraque ad praeclara omnia eum excitant impelluntque. Suum igitur cuique lubenter tribuit, amicitiam cum civibus suis religiose servat, concordiae est studiosissimus, quandoquidem, si quis alius, sibi habet plane persuasum, sine hac nec

domum ullam nec civitatem adeo stare diu posse. Talem sese praestitisse Socratem e Xenophonte et Platone cognovimus, quum pro sagacitate sua unus omnium maxime perspiceret, qua tandem esset in felicitatem civitatis efficacitate cum legum observantia tum mutua concordia civium. Exstat viri apud Xenophontem cum Hippia Sophista colloquium, quod alicubi jam in prioribus me laudare memini. Praeclaram iterum inde sententiam delibemus. Quaestio est de legibus, quas tanquam *οὐ σπουδαῖον πρᾶγμα* tantum non rejicit Sophista. Legum vero patrocinium in se suscipit Socrates, ab earumque religioso cultu pendere ait civitatis tam belli quam militiae salutem. „'Αλλὰ μὴν (sic continuo pergit) *καὶ ὁμόνοιά γε μέγιστόν τε ἀγαθὸν δοκεῖ ταῖς πόλεσιν εἶναι, καὶ πλειστάκις ἐν αὐταῖς αἵ τε γερουσίαι καὶ οἱ ἄριστοι ἄνδρες παρακελεύονται τοῖς πολίταις ὁμονοεῖν, καὶ πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται, τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν, καὶ πανταχοῦ ὀμνύουσι τὸν ὅρκον τοῦτον· οἶμαι δ' ἐγὼ ταῦτα γίγνεσθαι, οὐχ ὅπως τοὺς αὐτοὺς χοροὺς κρίνωσιν οἱ πολῖται, οὐδ' ὅπως τοὺς αὐτοὺς αὐλητὰς ἐπαινῶσιν, οὐδ' ὅπως τοὺς αὐτοὺς ποιητὰς αἱρῶνται, οὐδ' ἵνα τοῖς αὐτοῖς ἥδωνται, ἀλλ' ἵνα τοῖς νόμοις πείθωνται· τούτοις γὰρ τῶν πολιτῶν ἐμμενόντων, αἱ πόλεις ἰσχυρόταταί τε καὶ εὐδαιμονέσταται γίγνονται· ἄνευ δὲ ὁμονοίας οὔτ' ἂν πόλις εὖ πολιτευθείη, οὔτ' οἶκος καλῶς οἰκηθείη*" (1).

Haec

(1) Xenoph. *Memor.* Lib. IV. c. 4. §. 16.

Haec quum sit harmoniae in civitate bonorumque morum in legum observantiam vis et efficacitas, videamus quo jure tandem universo legum in civitate cultu civilis vindicari libertas dici possit.

Patuit igitur non alias esse bonas justasque leges dicendas, nisi quae ad naturae legis normam comparatae sint. Haec enim lex, ut divinam referens originem, perfectum est et, cui nihil admodum deëst, boni justique exemplar. Itaque leges in civitate a naturae lege distinguendae quidem sunt, non vero sejungendae. Quodsi autem haec imprimis de legum natura qualis esse debeat teneamus, fieri aliter vix potest, quin continuo nobis manifestum sit, earum servitio civibus libertatem comparari et vindicari. Tum enim haud dubie leges nos immunes praestant rerum omnium, quibus prohibeamur, quominus vivamus et agamus, ut honestos cives decet. Velit quispiam nos laedere vel nobis nostra vi eripere, praesto statim sunt leges, quae pro justitia sua illud impediant. Tum par est jus omnium. Si vero e. g. principibus in civitate viris pro lubitu agere erga humiliores secundum leges licet, tum nec justae sunt leges neque ulla est in civitate aequalitas et libertas; premuntur vero inferiores quique odiosâ civium principum insolentiâ.

Verum enim vero civitatem fingas optimis legibus justissimisque utentem, fingas quoque cives scrupulosâ legum observantiâ et reverentiâ in quacunque tandem vitae actione communiter ductos; vel

vel sic tamen desiderari magnopere politica in ejusmodi civitate libertas possit. Mirum quidem istud primo obtutu videatur; sed tamen est verissimum. Scilicet, nisi qui legum exercent voluntatem boni atque justi amore incensi sint, desperari omnino de civium libertate licet. Est enim hoc summo studio civitati videndum, ut magistratus habeat atque judices, ipso justitiae, nec vero sui aut partium studio in rebus civilibus dirimendis ductos. Nec horum tantum, sed omnium universe summa est civitati cura gerenda, ut educatione potissimum juventutis et bonos homines et bonos cives efficere conetur, ut unusquisque civium sua sponte faciat, quod facere ceteroquin cogatur legibus. Paucos enim legibus obtemperare, nihil ferme prodest, quum ita neque semet ipsos neque ceteros etiam in libertatem vindicare possint. Cuncti pari modo id faciant oportet, ut singulis in civitate libertas vindicetur. Quodsi ea est civium voluntas, tam aequa legum ratio, tam spectata magistratuum ac judicum justitia, nihil est nobis verendum. Tum omnes pariter provocare ad leges possumus et, sive qui laedit sit nobilis seu abjectus homo, nihil attinet; gaudemus singuli vera civili libertate.

Fuit haec quam praedicarent antiqui omnium in civitate aequalitas, quae iccirco cum idea libertatis tam arcte erat conjuncta, ut utraque vox haud raro eadem significatione apud veteres scriptores usur-

usurpari soleat (1). Vocabulo nempe illo non intelligebant antiqui aequalitatem *auctoritatis*; (hac enim semper optimi quique et prudentissimi antecellebant,) sed *juris*, *ἰσηγορίαν* (2). Pluribus nominibus hanc juris aequalitatem exprimere solebant. Memoratur ita praeter *ἰσηγορίαν ἰσότης*, *ἰσοτιμία*, *ἰσοκρατία*, *ἰσομοιρία*, *ἰσοτέλεια*, *ἰσοψηφία*, *ἰσοπολιτεία*, tandem *ἰσονομία*, quae vox omnium maxime aequalitatis sensum notat. Intelligitur autem sponte veteres non ad *homines* retulisse aequalitatem, sed unice ad *cives*, quod patet e servitute, quam fere in civitatibus antiquis invaluisse novimus. Denique, dicebatur aequalitas ratione habitâ legum, ut secundum leges cives omnes essent aequales, per totam omnino civitatem, quae et ipsa cum aequalitatis maxime tum societatis studio exstiterat, dominaretur juris aequabilitas. In hac igitur civium aequalitate cernebatur potissimum antiquarum civitatum vis, quippe et ad alia et ad amicitiam concordiamque stabiliendam imprimis idonea. Ἰσότης enim *φιλότητα ἀπεργάζεται* dicebant antiqui (3). Cavebant autem leges, ne ex aequalitate nasceretur anarchia, unde potissimum factum, ut tantam legibus reverentiam tribuere solerent, utpote aequali-

(1) Vid. Cl. van Heusde, *Diatr.* p. 76.

(2) De *ἰσηγορίας* praestantia, exemplo ab Atheniensibus desumto, disserit eleganter Herod. Lib. V. c. 73.

(3) Invenitur proverbium ap. Plat. *de Legg.* Lib. VI. p. 757. A.

litatis et libertatis unico firmissimoque praesidio. Verebantur iccirco vehementer veteres; ne quis novas res in civitate moliretur et mores legesque alienas inducens labefactaret civium aequalitatem. Novarum enim rerum studium facile tyrannidem gignebat, qua exorta nulla erat civitas, nulla civium libertas. Inde apud Athenienses *ostracismus*, apud Syracusanos *petalismus*. Neuter proprie poena, sed cautio quaedam fuisse videtur, qua monebatur civis aliquis potentior, ne diutius in civitate moraretur. Etenim, ut testatur Aristoteles, „τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν δυνάμει διὰ πλοῦτον ἢ πολυφιλίαν ἤ τινα ἄλλην πολιτικὴν ἰσχὺν ὠστράκιζον, καὶ μεθίστασαν ἐκ τῆς πόλεως χρόνους ὡρισμένους" (1).

Si autem ita de libertate civili existimandum est, ut modo disputavi, continuo apparet egregie errasse, quotquot inter antiquos et recentiores veram libertatem civilem unice positam esse voluerint vel in democratia vel aristocratia, vel mixta regiminis forma; in regia nullam esse affirmaverint (2). De singulis agere non vacat. Democratiam quidem tanquam libertati civili minus aptum regimen posthac e Platone proponere juvabit. Nunc vero bre-

vi-

(1) Aristot. *Politic.* Lib. III. c. 8. §. 2. Cff. ejusd. cap. §. 4.; Plutarch. *Vit. Aristid.* c. 7.; Diod. Sic. Lib. XIX. c. 1.

(2) Libertas enim apud antiquos regno fere opponitur, e. g. apud Liv. *Hist.* Lib. II. c. 12, 15.; Lib. XLV. c. 18.; Tacit. *Annal.* Lib. I. c. 1.; *de mor. Germ.* c. 37.; Cic. *de Legg.* Lib. III. c. 10.; Senec. *Nat. Quaest.* Lib. II. c. 49.

viter in causam inquirere lubet, qua factum sit, ut a regno libertatem alienam esse perhibuerint antiqui. Scilicet, temperato regio imperio, quali nos utimur, illi non fuerunt maturi (1). Priscis temporibus patriarchicam sequebantur rationem, quae naturae plane respondet; sed quo esse cultiores coeperunt, eo magis aequalitatem appetere et ad popularem regiminis formam accedere studuerunt, quippe quae omnium maxime aequalitatem referret (2). Reges deinde pro *tyrannis* fere habuerunt, ut nempe aequalitati promovendae alienos, nec tamen ignobili istâ significatione, quam huic nomini tribuere homines solent. Tyrannos proprie dicebant omnes cives, qui soli, sive volentibus ceteris seu nolentibus, summa rerum potiti essent in civita-

(1) Summa regiminis perfectio, cujus capax antiquitas fuit, cernitur in republica Romana, quam laudat Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 46, secutus maxime Polybium, Lib. VI. c. 9. sqq. Factum ita est, ut raro in hac republica exstiterint tyranni. Senatus enim auctoritate sua impediebat, quominus res novas demagogi molirentur. Neque vi sua hac in re caruit ratio democratica. Quum enim qui affectarent tyrannidem, Plebi maxime sese commendarent, Romae hi a Tribunis Plebis sedulo arcebantur.

(2) Non tamen pristini illi Reges absolutam habuisse potestatem videntur; sed tantum domi summi fuisse magistratus, militiae supremi belli gerendi duces. Quamquam autem posteris temporibus regia universe obsoleta fuit potestas, Lacedaemon tamen suos retinuit Reges, eâ quidem muneris dignitate conspicuos, ut in suffragiis ferendis ceteros fere Senatores adaequarent bellique tantum tempore exercitui praeëssent.

tate, quae libera ante, id est, popularis fuisset (1). Quandoquidem autem haud raro fiebat, ut crudelissime Reges saevirent; qui item mos erat tyrannorum, certe *αὐτοκράτορες* essent atque hoc ipso aequalitati nocerent, regium nomen invisum redditum fuit. Quidquid est, perverse egerunt, quotquot libertatem civilem in regiminis quadam forma quaesiverunt. In omni enim, ut ex superioribus liquet, regimine adesse libertas potest, sive regium sit sive aristocraticum sive democraticum seu denique ex omnibus hisce temperanter mixtum.

Haec quum ita sint, manifestum est sapienter legum servitium ab antiquis politicis tantopere fuisse commendatum. Ciceroni jam praeiverat Historiae ac Politicae parens Herodotus, imprimis in laudato Xerxis et Demarati colloquio: praeiverat maxime Plato cum alibi tum passim in opere *de Legibus*, felicitatem simul civitati inde natam significans. Hic enim Socrates: „Ὃς ἂν τοῖς τεθεῖσι νόμοις εὐπειθέστατος τ' ᾖ, καὶ νικᾷ ταύτην τὴν νίκην ἐν τῇ πόλει, τούτῳ φαμὲν καὶ τὴν τῶν θεῶν ὑπηρεσίαν δοτέον εἶναι τὴν μεγίστην τῷ πρώτῳ, καὶ δευτέραν τῷ τὰ δεύτερα κρατοῦντι· καὶ κατὰ λόγον οὕτω τοῖς ἐφεξῆς τὰ μετὰ ταῦθ' ἕκαστα ἀποδοτέον εἶναι. τοὺς δ' ἄρχοντας λεγομένους, νῦν ὑπηρέτας τοῖς νόμοις ἐκάλεσα, οὔτι καινοτομίας ὀνομάτων ἕνεκα· ἀλλ' ἡγοῦμαι παντὸς μᾶλ-

(1) Cf. Nep. *Vit. Milt.* c. 8. *Reges* contra proprie vocabant, qui auctoritate uterentur a majoribus accepta legibusque definita.

μᾶλλον εἶναι παρὰ τοῦτο σωτηρίαν τε πόλει, καὶ τοὐναντίον. ἐν ᾗ μὲν γὰρ ἂν ἀρχόμενος ᾗ καὶ ἄκυρος νόμος, Φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν· ἐν ᾗ δὲ ἂν δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, σωτηρίαν, καὶ πάνθ' ὅσα θεοὶ πόλεσιν ἔδοσαν ἀγαθὰ γιγνόμενα καθορῶ" (1). Quamquam autem Plato hoc loco attendit maxime magistratus in civitate eosque *δούλων* nomine, legis ratione habitâ, appellavit, ceteros tamen cives aeque legum servos esse voluit. Patet hoc satis superque cum ex politicis aliisque philosophi operibus, tum vero e *Critone* dialogo. Disserit ibi Socrates cum suo familiari disputatque, utrum liceat sibi e custodia aufugere necne. Quo autem rem dilucidius exponat, ipsas civitatis leges loquentes inducit, quae se fugam parantem ita alloquantur: „*Εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, τί ἐν νῷ ἔχεις ποιεῖν; ἄλλο τι ἢ τούτῳ τῷ ἔργῳ, ᾧ ἐπιχειρεῖς, διανοεῖ τούς τε νόμους ἡμᾶς ἀπολέσαι καὶ ξυμπᾶσαν τὴν πόλιν τὸ σὸν μέρος; ἢ δοκεῖ σοι οἷόν τε ἔτι ἐκείνην τὴν πόλιν εἶναι καὶ μὴ ἀνατετράφθαι, ἐν ᾗ ἂν αἱ γενόμεναι δίκαι μηδὲν ἰσχύωσιν, ἀλλ' ὑπὸ ἰδιωτῶν ἄκυροί τε γίγνωνται καὶ διαφθείρωνται*" (2); Pariter hac de re egit Plato in *Epistola*, quam Dionis familiaribus scripsisse fertur. „Νόμος," ait, „*ἐπειδὴ κύριος ἐγένετο βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐκ ἄνθρωποι τύραννοι νόμων.*"

Il-

(1) Plato *de Legg.* Lib. IV. p. 715. C. D. Cff. 714. A. Lib. IX. p. 856. B.; Arist. *Politic.* Lib. IV. c. 4. §. 7.

(2) Plat. *Crit.* p. 50. B. Cf. Aesch. *Orat. in Timarch.* p. 25.

Illud enim felicitatis summae et libertatis, hoc vero malorum omnium et servitutis esse principium contendit (1).

Itaque, ut hisce tandem finem imponam, hanc summam cogere licet, libertatis civilis praesidium civitati nulla alia in re nisi in legum cultu esse positum, ut *leges nervos esse civitatium* jure aliquando pronunciasse Catonem appareat (2). Quacunque regiminis forma utatur civitas, libera esse potest, modo quae leges imperant religiose exsequantur cives, modo bonae ipsae sint leges, aequi judices. Quo vero magis illae ad naturae legem sunt compositae, hi aequiores, eo majori etiam fruuntur omnes libertate civili, quae tum demum plena fit, quum ipsi cives justitiae semper et virtutis sunt studiosi. Denique, ut hoc moneam, ad veram civilem libertatem antiqui haud pervenerunt, siquidem hominis libertatem naturalem non venerabantur. *Civem* enim, non *hominem* spectare atque adeo jus vindicare sibi solebant in servitutem redigendi quoscunque vel in bello ceperant vel pecuniâ emerant vel aliâ quâvis ratione sibi comparaverant. Nos demum, quod praestantissimum est religionis Christianae beneficium, eo processimus, ut hominem in homine veneremur atque ita omni hominum generi, quin servis etiam, lubenter prospiciamus.

§. 2.

(1) Plat. *Epist.* VIII. p. 354. C.

(2) Fragmentum exstat ap. Diomedem Grammaticum, Lib. I. p. 289, ut indicat doct. J. H. van Bolhuis, *Diatr. in M. P. Catonem*, p. 219.

§. 2.

E vigore reipublicae Lacedaemoniorum.

Excipiat jam Politicam antiquae Historiae testimonium, quo quae illius principia tradunt et probentur et confirmentur. Qua autem ratione hoc instituendum sit, dubium esse non potest. Quum scilicet ad morum servandam integritatem antiquitus referrentur omnia, legum fundus in moribus esset positus, sequitur ultro, ut quamdiu intacti essent civium mores, colerentur etiam leges, firma maneret civitatum libertas. Attendenda igitur nobis omnium maxime est moralis civium conditio, quippe a cujus praestantia pependerit prorsus civitatum tum vigor tum libertas. Initium igitur faciamus a Lacedaemoniorum republica.

Quo tetenderint olim Lycurgi leges summatim me exponere memini. Bellum imprimis spectabant, ut rem patriam fortiter foris propugnantes, cives in libertatem se simul ipsi vindicarent, domi ad virtutem informati parendo legibus summa gauderent aequalitate. Hanc autem ut firmaret civibus libertatem, cum alia multa novavit tum Senatum instituit, „ἣν (κατάστασιν)" uti tradit Plutarchus, „Φησιν ὁ Πλάτων τῇ τῶν βασιλέων ἀρχῇ Φλεγμαινούσῃ μιχθεῖσαν, καὶ γενομένην ἰσόψηφον, εἰς τὰ μέγιστα σωτηρίαν ἅμα καὶ σωφροσύνην παρασχεῖν. αἰωρουμένη γὰρ ἡ πολιτεία καὶ ἀποκλίνουσα νῦν μὲν

ὡς

ὡς τοὺς βασιλεῖς ἐπὶ τυραννίδα, νῦν δὲ ὡς τὸ πλῆθος ἐπὶ δημοκρατίαν, οἷον ἕρμα τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν ἐν μέσῳ θεμένη καὶ ἰσοῤῥοπήσασα, τὴν ἀσφαλεστάτην τάξιν ἔσχε καὶ κατάστασιν· ἀεὶ τῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι γερόντων τοῖς μὲν βασιλεῦσι προςτιθεμένων, ὅσον ἀντιβῆναι πρὸς δημοκρατίαν, αὖθις δὲ ὑπὲρ τοῦ μὴ γενέσθαι τυραννίδα, τὸν δῆμον ἀναῤῥωννύντων" (1). Testatur autem idem inferius (2), quantam in Lacedaemoniorum republica vim habuerit legum observantia. „Τῶν νόμων γὰρ ἐπικρατούντων, (praestat enim locum integrum apponere) οὐ πόλεως ἡ Σπάρτη πολιτείαν, ἀλλ' ἀνδρὸς ἀσκητοῦ καὶ σοφοῦ βίον ἔχουσα, μᾶλλον δ', ὥςπερ οἱ ποιηταὶ τὸν Ἡρακλέα μυθολογοῦσι δέρμα καὶ ξύλον ἔχοντα τὴν οἰκουμένην ἐπιπορεύεσθαι, κολάζοντα τοὺς παρανόμους καὶ θηριώδεις τυράννους, οὕτως ἡ πόλις, ἀπὸ σκυτάλης μιᾶς καὶ τρίβωνος ἄρχουσα τῆς Ἑλλάδος ἑκούσης καὶ βουλομένης, κατέλυε τὰς ἀδίκους δυναστείας καὶ τυραννίδας ἐν τοῖς πολιτεύμασι, καὶ πολέμους ἐβράβευε, καὶ στάσεις κατέπαυε, πολλάκις οὐδ' ἀσπίδα κινήσασα μίαν, ἀλλ' ἕνα πέμψασα πρεσβευτὴν, ᾧ πάντες εὐθὺς ἐποίουν τὸ προςτασσόμενον, ὥςπερ αἱ μέλισσαι, φανέντος ἡγεμό-

(1) Plutarch. *Vit. Lycurg.* c. 5. Postea Rex Theopompus Ephoros instituit, qui Regum licentiam frenarent, Plut. l. l. c. 7; unde factum, ut si quis contra leges agere existimaretur, illico in eum animadverterent Ephori, Xen. *de Rep. Laced.* c. 8. Sunt tamen qui Ephororum institutionem ad Lycurgum, instaurationem ad Theopompum referant, de quibus vid. d'Engelbronner, p. 78, in notâ.

(2) Plutarch. l. l. c. 30.

μένος, συντρέχοντες καὶ κατακοσμούμενοι. τοσοῦτον περιῆν εὐνομίας τῇ πόλει καὶ δικαιοσύνης." Unde igitur tantus Spartae vigor, tanta auctoritas? Scilicet, non repetenda causa extrinsecus est, sed ex ipsa morali Spartanorum praestantia, quodque cum eâ semper conjungi solet, legum obsequio (1). Cernitur hoc imprimis bellorum Persicorum tempore. Acerrimo praestabant Spartani libertatis studio, nec tamen leges evertere atque ita sibi comparare libertatem conabantur; imo vero in ipso legum cultu positam esse libertatem censebant. Sed ne hoc veluti ex tripode dicere videamur, exemplis utrumque illustremus.

Itaque quanto flagrarint optimâ aetate libertatis ardore Spartani, missis etiam fortibus virorum in bello facinoribus, optime perspicere licet ex eleganti Herodoteâ narratione, nobis haud negligendâ. Narrat ille de Sperthia et Bulide, Spartanis, qui liberi pro patria mortem obirent, ut culpam expiarent civium suorum, qui male olim habuissent Darii legatos. Susa profecti veniunt una ad Hydarnem, orae Asiae maritimae praefectum. Convivio liberaliter exceptos hoc modo alloquitur Hydarnes: „Quid tandem, viri Lacedaemonii, amicos Regi fieri negatis? nam videtis, qui sciat Rex fortes viros honore prosequi, me et res meas respicientes. Ita igitur vos quoque, si vosmet ipsos Regi tradideritis, (existimamini enim ab illo fortes viri esse)

(1) Xenoph. l. l.

esse) uterque a Rege parti cuidam Graeciae imperaturi estis." Tum vero illi: „Non ex aequo," inquiunt, „Hydarnes, proficiscitur quod tu nobis das consilium. Nam id, quod tu expertus es, nobis suades; alterum autem expertus non es. Servire quidem nosti, libertatis vero nondum experimentum cepisti, utrum dulcis sit necne. Hanc enim si expertus fuisses, suaderes nobis, ut pro ea non modo hastis pugnaremus, verum etiam securibus" (1). Agnoscimus sane vel hinc libertatis civilis Lacedaemone hisce temporibus studium atque ardorem. Qualem autem libertatem illi intellexerint, egregie e Xerxis cum Demarato colloquio, quod supra traditum explicui, patet. Demaratus enim: „'Ελεύθεροι ἐόντες," inquit, „οὐ πάντα ἐλεύθεροί εἰσι· ἔπεστι γάρ σφι δεσπότης Νόμος, τὸν ὑποδειμαίνουσι πολλῷ ἔτι μᾶλλον, ἢ οἱ σοί σε. ποιεῦσι γῶν, τὰ ἂν ἐκεῖνος ἀνωγῃ." Ita cogitabant legum suarum studiosissimi Spartani; inde explicanda stupenda illa virtus, mira illa in rebus gerendis alacritas. Quid enim? Pergit Demaratus: „'Ανώγει δὲ τὼυτὸ αἰεὶ, οὐκ ἐῶν Φεύγειν οὐδὲν πλῆθος ἀνθρώπων ἐκ μαχῆς, ἀλλὰ μένοντας ἐν τῇ τάξει ἐπικρατέειν, ἢ ἀπόλλυσθαι." Ita in ipsis eorum animis inerat, quod eos ad summam duceret legum observantiam, ut hoc stimulo incitati rem patriam fortiter defendendam susciperent, pulchra et honesta omnia perpetrarent. Nam universe, si Plutarchum

(1) Herod. Lib. VII. c. 135.

chum audimus, „εἴθιζε τοὺς πολίτας (ὁ Λυκοῦργος) μὴ βούλεσθαι, μήτ' ἐπίστασθαι κατ' ἰδίαν ζῆν, ἀλλ' ὥςπερ τὰς μελίττας, τῷ κοινῷ συμφυεῖς ὄντας ἀεὶ, καὶ μετ' ἀλλήλων εἰλουμένους περὶ τὸν ἄρχοντα, μικροῦ δεῖν ἐξεστῶτας ἑαυτῶν ὑπ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ φιλοτιμίας, ὅλους εἶναι τῆς πατρίδος" (1).

Vix profecto e factis rem explicare opus est. Sufficiat memorasse qui in Thermopylis occiderunt cum Leonida duce Lacedaemonios, in quorum laudem Simonides:

„*Dic hospes Spartae, nos te hic vidisse jacentes,*
Dum sanctis patriae legibus obsequimur."

Quid autem viros commemoro? Qualis tandem Lacaena? quae cum filium in proelium misisset et interfectum audisset: *Idcirco*, inquit, *genueram, ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere* (2). Et vero, ita sese gerendis non mirum adeo invaluisse Lacedaemonios: statim enim post bella Persica, ad summum, ut modo e Plutarcho est expositum, floris fastigium adscenderunt, ut, vili odiosoque Persarum jugo excusso, honestâ suavique fruerentur civili libertate et felicitate. Sed servabant simul Spartani legibus suis praescriptam temperantiam, frugalitatem, paupertatem, fortitudinem, justitiam, bonos omnino mores, quos ipsis illis legibus diutius etiam servare potuisse videntur,

(1) Plutarch. *Vit. Lyc.* c. 25. Cf. c. 24, init.
(2) Ita fere Cic. *Tusc. Quaest.* Lib. I. c. 42.

tur, quippe quae mercaturam fere omnem et peregrinationem auctoritate sua arcebant. Factum inde maxime est, ut pristina morum integritate retenta per quinque fere saecula infracta staret reipublicae Spartanae auctoritas atque gloria, eaque in ceteris Graeciae civitatibus satis diu principatum obtineret. — Sed haec de Lacedaemone satis sunto; rem jam porro illustremus

§. 3.

E vigore reipublicae Atheniensium.

Laudavi supra moralem legum Solonis vim utilissimamque Areopagi Athenis auctoritatem, quatenus morum spectabat tutelam custodiamque legum. Eam autem Soloni maximam partem debuit: hic enim, ut legum integritati populique libertati prospiceret, „τὴν ἄνω βουλὴν ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων ἐκάθισεν, οἰόμενος ἐπὶ δυσὶ βουλαῖς, ὥσπερ ἀγκύραις, ὁρμοῦσαν, ἧττον ἐν σάλῳ τὴν πόλιν ἔσεσθαι, καὶ μᾶλλον ἀτρεμοῦντα τὸν δῆμον παρέξειν" (1). Florentissimo autem suo aevo cum ceteris Graeciae civitatibus docuerunt Athenae praesertim, quid ad libertatem tuendam valeat legum observantia cum patriae amore ac concordiae studio conjuncta. Insignia hujus rei exempla in bellorum

Per-

(1) Plutarch. *Vit. Solon.* c. 19.

Persicorum historiâ exstant. Infestabant tunc Persae Graecarum civitatum libertatem, cunctas imperio suo subjicere summo studio conantes. Inde ingentes illi exercitus, immensi illi Persarum apparatus, quorum ne similes quidem vix vidit posterior aetas. Sed inde quoque apud Graecos alacritas illa et bellica virtus, qua majorem neutiquam memorent historicorum scripta. Nec utique mirum. Patriam quisque suam ab exitio defendebat legesque, quibus patriae contineri salutem civiumque aequalitatem existimabant. *Αὐτόνομοι* hucusque fere fuerant Graeci; *αὐτονομίαν* vitâ etiam cariorem habebant. Oderant tyrannidem, quae legum auctoritatem funditus tollere, *τὸ ἔσχατον τῆς πόλεως νόσημα* inferre soleret. Oderant Persarum Reges, qui arbitrio fere suo res administrarent, subditos extremâ et vilissimâ servitute vinctos tenerent. Denique, Graecum si cogites illius maxime aevi, virum cogita ingenio liberalissimo, cui carior atrocissima mors sit vitâ vel minimo servitio transactâ; cogita concordiae, fortitudinis, patriae amoris, temperantiae justitiaeque exemplar, morum universe simplicitate et integritate conspicuum. Communiter igitur Graeci arma induebant, communiter propulsare hostem conabantur, nec ullus relinquebatur licentiae ac discordiae locus. Illustre hujus rei apud Athenienses exemplum praeter alia multa affert Herodotus. Paulo ante pugnam ad Salamina, rebus ad angustias redactis, Aristides, „*ἀνὴρ Ἀθηναῖος*

 μὲν,

μὲν, ἐξωστρακισμένος δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου," vocabat ad se Themistoclem, *„ἐόντα μὲν ἑωυτῷ οὐ φίλον, ἐχθρὸν δὲ ταμάλιστα."* Hunc ita alloqui coepit Aristides: *„Ἡμέας,"* inquit, *„στασιάζειν χρεὼν ἐστι ἔν τε τῷ ἄλλῳ καιρῷ, καὶ δὴ καὶ ἐν τῷδε, περὶ τοῦ ὁκότερος ἡμέων πλέω ἀγαθὰ τὴν πατρίδα ἐργάσεται"* (1). En optimo cive dignissimum facinus! Missas faciebat Aristides privatas inimicitias, ut patriae, in summum adductae discrimen, communiter consuleretur; atque ita *ὑπὸ μεγάθεος τῶν παρεόντων κακῶν* facillime patiebatur, quod ceteroquin fortasse vix aut ne vix quidem passus fuisset.

Verum, quanto studio prae morum suâ bonitate leges observaverint hoc tempore Athenienses, vel hinc cognosce. Pugnâ ad Salamina commissâ, mittebat Mardonius Alexandrum, Perdiccae filium, qui a Rege libertatem et principatum Graeciae aliaque bene multa ac praeclara Atheniensibus polliceretur, modo sponte, quod prae virium tenuitate mox cogerentur, Regi sese traderent. Quod ut auditum Spartae est, missi continuo Athenas sunt legati, qui suaderent ut et Regi non auscultarent et mulieres ceteramque familiam nutriendam Spartam mitterent. Auditâ oratione Alexandri, indignati Athenienses hac fere responderunt gravi liberisque civibus dignissimâ sententiâ: *„Καὶ αὐτοὶ,"* inquiunt, *„τοῦτό γε ἐπιστάμεθα, ὅτι πολλαπλησίη ἐστὶ τῷ Μήδῳ δύναμις ἤπερ ἡμῖν· ὥςτε οὐδὲν δέει τοῦτό*

γε

(1) Herod. Lib. VIII. c. 79. Cf. Plutarch. *Vit. Arist.* c. 8.

γε ὀνειδίζειν. ἀλλ' ὅμως ἐλευθερίης γλιχόμενοι ἀμυνεύμεθα οὕτω, ὅκως ἂν καὶ δυνώμεθα. — νῦν δὲ ἀπάγγελλε Μαρδονίῳ, ὡς Ἀθηναῖοι λέγουσι, ἔστ' ἂν ὁ ἥλιος τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἴῃ, τῇπερ καὶ νῦν ἔρχεται, μήκοτε ὁμολογήσειν ἡμέας Ξέρξῃ· ἀλλὰ θεοῖσί τε συμμάχοισι πίσυνοί μιν ἐπέξιμεν ἀμυνόμενοι, καὶ τοῖσι ἥρωσι, τῶν ἐκεῖνος οὐδεμίην ὄπιν ἔχων ἐνέπρησε τούς τε οἴκους καὶ τὰ ἀγάλματα" (1). Cum his, ne plura afferam, confer quod Spartani tulerunt responsum, nec te latere possit ipsam Athenarum civitatem, pariter atque leges, optimis fuisse moribus superstructam. Quae igitur modo de Lacedaemoniis ex Herodoto attuli, eadem fere apud Platonem egregie de Atheniensibus hac aetate memoriae prodita invenimus. Ita enim in Libris *de Legibus* popularium suorum, bellorum Persicorum tempore, legum observantiam praedicat Socrates: „Δεσπότις ἐνῆν τὶς αἰδὼς, δι' ἣν δουλεύοντες τοῖς τότε νόμοις ζῆν ἠθέλομεν. καὶ πρὸς τούτοις δὴ τὸ μέγεθος τοῦ στόλου κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν γενόμενον, Φόβον ἄπειρον ἐμβαλὸν, δουλείαν ἔτι μείζονα ἐποίησεν ἡμᾶς τοῖς τότε ἄρχουσι καὶ τοῖς νόμοις δουλεῦσαι. καὶ διὰ ταῦτα πάνθ' ἡμῖν ξυνέπεσε πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς σφόδρα Φιλία (2). Et paulo post: „Οὐκ ἦν, ὦ Φίλοι, ἡμῖν ἐπὶ τῶν παλαιῶν νόμων ὁ δῆμος τινῶν κύριος, ἀλλὰ τρόπον τινὰ ἑκὼν ἐδούλευε τοῖς νόμοις" (3).

Ejus-

(1) Herod. Lib. VIII. c. 143.
(2) Plato *de Legg.* Lib. III. p. 698. B.
(3) l. l. p. 700. A.

Ejusmodi quum essent Atheniensium mores, haud mirum profecto in bellis eos Persicis tam praeclara edidisse facinora, ideoque deinde dignos fuisse habitos, qui Graeciae principatum obtinerent. Et vero, tali felicitate gavisae Athenae statim post bella Persica sunt, quali nunquam postea. Nam etsi prius per breve temporis spatium Athenarum vigorem fregerat quodammodo tyrannide inducendâ Pisistratus, ipse quidem bonus homo legumque studiosus, sed indignae prolis pater, Hipparcho tamen occiso expulsoque Hippia, „'Αθῆναι, ἐοῦσαι καὶ πρὶν μεγάλαι, τότε ἀπαλλαχθεῖσαι τυράννων, ἐγίνοντο μέζονες" (1). Verum — ita fert sors humana — neque Athenis neque ceteris Graeciae civitatibus diu laeta illa conditio arrisit. Ut enim ex prosperitate superbia, luxuries, aliorumque fastidium et invidia nasci solet; sic sensim Graecae respublicae, quum quae minus gloriâ valeret alto supercilio in alterius vigorem famamque despiceret, eo processerunt, ut, moribus avitis plane corruptis, omni leges vi nudarent, mutuis bellis se invicem tentarent atque studerent devincere. Haec tamen omnia, ut ab hoc loco aliena, deinde exponenda sunt. Transeamus jam ad Romanos.

§. 4.

(1) Herod. Lib. V. c. 66.

§. 4.

E vigore reipublicae Romanae.

Quodsi Romanae gentis historiam consideras, mireris necesse est, quot quantaeque in ea exstiterint ἰσονομίας vel comparandae vel tuendae gratiâ turbae civiles. Fere Patricios Plebejis, Plebejos Patriciis reluctantes videas, hos ut Plebis crescentem auctoritatem frangant, illos ut sua jura a Patriciorum superbia defendant. Acerrimum enim in gente Romanâ animadvertimus libertatis studium, licet dominandi ardore correpti in aliis populis eandem haud magnopere venerati sint. Cernitur studium illud aequalitatis et libertatis continuo in Tarquinii Superbi abjurataeque regiae potestatis historia. Vir iste, ad nulla non scelera perpetranda paratus, omne jus fasque exosus, vehementer populi libertatem oppresserat, ut adeo qui tyranni nomine vocaretur haud se praestaret indignum. Infractâ enim justitiâ, suam auctoritatem leges amiserant, Regis plane voluntas omnia decernebat (1). Itaque „ubi

(1) Quamquam enim postea demum leges XII tabularum acceperunt Romani, non censendi tamen sunt primis temporibus nullas habuisse leges; sine legibus esse civitas plane non potest; sed non scriptas Romani habuere leges, quae quotidie a civibus inspicerentur et cognoscerentur. Utebantur igitur legibus quidem ad justitiae normam compositis, sed paucis illis atque reconditis a notitia vulgi; quibus autem non providerent leges, ea vel arbitratu Regum vel exempli memoriâ dijudicabantur.

„ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convertit, immutato more, annua imperia binosque Imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum" (1). Ut autem refert Livius: „Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia jura, omnia insignia primi Consules tenuere; id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur" (2). Quum igitur quotannis novi crearentur Consules, non solum aditus ad summos honores quam plurimis patuit, sed sublatus etiam metus fuit, ne invalesceret Consulum potestas populique aequalitati insidiaretur. Plebis enim vis ad hoc usque tempus exigua fere fuerat, nec magnopere habuerat, qua sese commendaret Plebeiorum libertas. Huic tamen sensim consuli coepit imprimis creandis Tribunis, qui postea sacrosancti etiam facti, vindices Plebis exstiterunt eximii ejusque jura acerrime propugnarunt (3). Deinde connubia item cum Patriciis inire Ple-

(1) Sallust. *B. C.* c. 6.

(2) Liv. *Hist.* Lib. II. c. 1.

(3) In hac Tribunorum Plebis creatione jam cernimus quodammodo illius imperii initia, quod apud Germanicas gentes obtinuit et *repraesentativum* vocari solet. Vid. hac de re doct. Scheers van Harencarspel, *de Trib. Pleb. ap. Rom. instit.* p. 89. sqq.

Plebi licuit, omnesque fere majores magistratus cum ipsa communicati sunt.

Verum enim vero, quamquam post exactos Reges civium aequalitas maxime aucta fuerat, desiderabantur tamen eae leges, quae ad *communem* populi libertatem tuendam essent idoneae. Consules enim eädem qua Reges ratione jus dirimebant, quarumque legum memoria non exoleverat, eas Patricii conscriptas et a communi remotas notitia in corpus redegerant, omnino sibi juris interpretationem callide reservaverant. Surrexit deinde Terentillus Arsa, Tribunus Plebis, vehementer ille Consulum libidinem ac licentiam criminans utque Quinqueviri legibus scribendis crearentur postulans (1). Tandem post multas altercationes lex perlata est et leges XII tabularum, de quarum natura supra exposui, a Decemviris acceperunt Romani, nec tamen prius, quam ipse Decemviratus in tyrannidem abierat. Sublatis enim ceteris omnibus magistratibus, ne Tribunis quidem Plebis exceptis, sine ullâ ad populum contra necem et verbera provocatione rempublicam administrarunt, effeceruntque ut, *cum vindicias amisisset ipsa libertas, populi nulla res esset* (2). Rebus tamen brevi restitutis, perlatis legibus, stabiliri in posterum coepta est populi aequalitas; nam L. Valerius et M. Horatius, Consules per Interregem creati, „deinde consularem legem

(1) Liv. *Hist.* Lib. III. c. 9.
(2) Cic. *de Rep.* Lib. II. c. 37.; Lib. III. c. 22.

gem de provocatione, unicum praesidium libertatis, Decemvirali potestate eversam, non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo novam legem: *Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet; qui creasset, cum jus fasque esset occidi*" (1). Tum vero etiam nulla promulgabatur in civitate lex, nisi quam antea in Comitiis latam probasset populus novamque velut dominam, cui sponte deinde sua pariturus esset, agnovisset.

Haec longius exponenda videbantur, ut recte animadverteremus, quomodo sensim ad libertatem et aequalitatem processerint Romani, eamque semel partam deinceps colendis legibus sibi vindicaverint. Cernimus autem inde omnes istas civium discordias non eo valuisse, ut interiret paulatim civitas, sed potius ut civium aequalitate vigeret. Patet id praesertim ex bellis hisce temporibus gestis. Continuo hoste minante, arma communiter suscipiebant patriamque honeste ac fortiter defendebant. Parum referebat Patriciusne quis an Plebejus esset; patria, communis omnium libertas, in discrimine versabatur, causa omnino agebatur universi populi. Itaque id controversiae istae tandem effecerunt, ut juris quaedam in republica haberetur aequabilitas, ut vere esset *res publica*; quo semel facto mirifice invalescere, florere, vigere Romana civitas coepit. Accedit, quod temporibus illis Romanorum mores non ita erant depravati, ut in omne vitiorum genus es-

(1) Liv. *Hist.* Lib. III. c. 55.

essent proclives. Vigebat Censorum dignitas, qui Areopagitarum instar morum ministerio fungentes temperantiae, pudicitiae, luxuriei, ignaviae, morum denique integritatis curam habebant et delinquentes, sive illustriori seu ignobiliori genere natos, dignâ poenâ afficiebant, ut adeo existimandi Censores sint hac in re eximie de Republica Romana meruisse (1). Quum autem verendum esset, ne uni magistratui vires deficerent ad tam grave tamque late patens munus bene gerendum, Aedilibus item morum cura demandata est, ut et luxum coërcerent et curam haberent popinarum ganearumque, ut nullae haberentur Romae meretrices, nisi quae, nomen professae apud Aediles, togam sumsissent. Quibus aliisque rebus factum est, ut justitiâ, fortitudine patriaeque amore, quae virtus a legum colendarum studio divelli plane non potest, conspicui essent prisci Romani. Nec viri tantum, sed feminae etiam saepius suam in patriam pietatem aperte declararunt. Memorasse sufficiat quod Vejis captis evenisse tradit Livius. Quum enim decimarum nomine, quas Camillus voverat, aurum Apol-

(1) Censuram ideo *pacis magistram custodemque* appellavit Val. Max. Lib. II. c. 9. init. ,, Quid enim prodest," inquit, ,, foris esse strenuum, si domi male vivitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus, nisi foro et curiae officium ac verecundia sua constiterit, partarum rerum aequatus coelo cumulus sedem stabilem non habebit." Vid. omnino Cl. Rovers, *de Cens. ap. Rom. auct. et existim.*, Traj. ad Rhen. 1824.

Apollini Delphico mitti oporteret, neque emendi ejus facultas esset, matronae, coetibus ad eam rem consultandam habitis, et communi decreto pollicitae Tribunis militum aurum et omnia ornamenta sua, in aerarium detulerunt (1). Ita viri militiae, domi feminae, omnes communiter eo tendebant, ut quoad ejus fieri posset viribus atque opibus rem patriam defenderent et sustentarent. Quocirca pessimos quosque cives novarumque rerum studiosos ultimo supplicio plecti malebant, quam pati ne quid inde respublica detrimenti caperet, quum penitus persuasum ipsis esset, *moribus antiquis rem stare Romanam virisque.* Quibus omnibus effectum est, ut gererentur omnia auctoritate tam Populi quam Senatus, invalesceret pariter majestas Senatus Populique Romani. Sed operae pretium est morum apud Romanos pristinam conditionem, quippe cum legum cultu arctissime cohaerentem, accuratius explicare.

Quodsi utrumque egregium Sallustii opus perlegeris imprimisque attenderis proöemia, fontem inveneris primarium, unde moralem populi Romani conditionem tam vigente quam labente republica clare perspicias. Nobis, uti etiam posthac, sic hoc loco multum inde proficere licet. Ut igitur auctor expulsos Reges creatosque Consules aequalitatis promovendae gratiâ paucis memoravit, incidit

(1) Liv. *Hist.* Lib. V. c. 25. Cf. Val. Max. Lib. V. c. 6. §. 8.

dit continuo in morum ea aetate popularium suorum descriptionem. „Civitas," inquit, „incredibile memoratu est, adeptâ libertate, quantum brevi creverit. tanta cupido gloriae incesserat. Jam primum juventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat: magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant" (1). Tribui autem haec omnia imprimis praeclarae puerorum apud Romanos educationi debent, uti ex hoc Sallustii loco satis patet. Patres filii in forum, comitia, rus, militiam sequebantur, quotidie in atriis majorum intuebantur imagines (2), publicas audiebant defunctorum virorum, qui optime de patria meruerant, in foro ad rostra laudes, quo spectaculo verae laudis et virtutis cupidus juvenis nullam pulchrius intueri poterat (3). Sic patriae ale-

(1) Sallust. *B. C.* c. 7.
(2) Sallust. *B. J.* c. 4.
(3) Polyb. Lib. VI. c. 53.

alebatur amor, sic virtus mature pueris indebatur. Haec autem firmabat domestica parentum consuetudo, ut qui quam ipsi rerum usu vel aliunde sibi comparaverant sapientiam, cum liberis eam communicare solebant, unde repetendum, ut Romani tam singulari corporis robore quam animi fortitudine ac praesentia conspicui essent (1). „Igitur domi militiaeque boni mores colebantur, concordia maxuma, minuma avaritia erat: jus bonumque apud eos non legibus magis quam naturâ valebat. Jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam curabant" (2). Ornate profecto diserteque haec pronunciavit *Romanâ primus in historiâ.* Equidem plura iis addere aegre et possum et volo. Res per se satis intelligitur. Hac ipsa morum probitate factum, ut cum leges observarent tum libertatem retinerent Romani. Vir enim probus, quod saepius inculcavi, legum ἐθελόδουλον esse non tantum non negabit, sed toto animo studebit, quum hoc sibi persuaserit, haud exstare ullam sine justitia et concordia civitatem posse, leges unicum et firmissimum ejus esse vinculum. Ita existimarunt et vero egerunt prisci Romani. Nam, ut

(1) Polyb. l. l. c. 50.
(2) Sallust. *B.* *C.* c. 9.

ut Cicero docet, „mos ipse patrius praestantes viros adhibebat, et veterem morem ac majorum instituta retinebant excellentes viri" (1). Coluisse autem antea Romanos aequitatem legesque, praeterea ex summo vigore, ad quem escendit respublica commode efficias. Id sane sine bonis civium moribus, sine fide et justitia interna, sine legum observantia vix impetrare, certe impetratum non diu retinere liceat. Quod ipsum vel ex sola Romana historia luculenter demonstrari possit et singulatim etiam demonstrabitur, ubi ex dissolutis civium moribus maxime interitus libertatis et simul civitatis exponetur.

(1) Ap. August. *de Civ. Dei*, Lib. II. c. 21.

CAPUT III.

EXPLICATUR RATIO QUA CIVI *TOLLITUR* LIBERTAS.

Ὅπου μὴ νόμοι ἄρχουσι, οὐκ ἔστι πολιτεία.

Aristoteles.

Hisce quacunque tandem ratione explicatis, absoluta fere disputatio nostra haberi posset, nisi, quo manifestius de re probanda constaret, novâ opus videretur disquisitione, qua legum contemtus tanquam libertatis civilis interitus proponatur, ut ita, pariter atque hactenus perscrutati sumus, quomodo in civitate *vindicetur* libertas, nunc quomodo ea civibus *tollatur* exquiramus. Id autem simili est modo peragendum. Efficiatur enim primum ex antiquae Politicae principiis, tum vero ad confirmandum accedant Historiae testimonia.

§. 1.

Ex antiquae Politicae principiis.

Tollitur civibus libertas *nimiâ* istâ, quam supra e Platone illustravi, populi libertate seu potius li-

licentia, quamque ille in democratia maxime reperire sibi videbatur. Uti enim in oligarchia divitiis tantum cives inhiant et opibus colligendis omnium maxime sunt intenti, ita magistratus, positâ juventutis curâ, pro temperantia intemperiem in civitate dominari sinunt juvenesque reddunt „τρυφῶντας καὶ ἀπόνους καὶ πρὸς τὰ τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὰ τῆς ψυχῆς, μαλακοὺς δὲ καρτερεῖν πρὸς ἡδονάς τε καὶ λύπας, καὶ ἀργούς." Tum sensim magnae oriuntur divites inter et pauperes turbae, donec tandem hi superiores facti illos partim interficiunt, partim expellunt, cum ceteris imperium communicant. Exortâ igitur democratiâ omnes erunt liberi, tota civitas erit ἐλευθερίας et παῤῥησίας plena, licebit unicuique facere quae velit. Suavissimam inde in praesenti cives sibi vitam comparant, ut licet possis nulla sit magistratus gerendi necessitas, neque bellum gerendi, ceteris gerentibus, nec quietem agendi, agentibus ceteris, nisi ita placeat; quin etiam, si qua lex te imperare vetet et sententiam ferre, nihilominus utrumque peragere tibi licebit, si ita fuerit visum. Quod autem ad lenitatem erga damnatos attinet, homines in ejusmodi civitate morte vel exsilio damnati nihilominus manent versanturque in medio, et quasi nemo id curet vel videat heroum instar incedunt; atque ita aequalitas quaedam pariter aequalibus et non aequalibus distribuitur (1). In hac autem per omnes ci-

(1) Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 555. B. — 558. C.

civitatis partes diffusa libertate ecquis non animadvertit meram inesse licentiam? *Τὴν μὲν ἀκολασίαν* parum abest quin veram habeant *δημοκρατίαν, τὴν δὲ παρανομίαν ἐλευθερίαν, τὴν δὲ παῤῥησίαν ἰσονομίαν, τὴν δ' ἐξουσίαν τοῦ πάντα ποιεῖν εὐδαιμονίαν* (1). Ut enim deinde explicat Plato, ex hac infinita licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere sive scriptas illas seu non scriptas, ut plane sine ullo domino sint. Est autem hoc ipsum imperium illud tam pulchrum ac juvenile, ex quo nascitur tyrannis (2). Adeo igitur liberi esse cives volunt, ut nullum plane habeant dominum. Leges non tantum non curant, sed spernunt adeo odioque prosequuntur, in extrema omnia proruunt neque ullus fere est sedandi modus (3). Unde autem odium istud? roges. Scilicet, praeterquam quod in dies majori laborant morum corruptela homines, veram legum in civitate naturam nec agnoscunt nec adeo ipsas leges rite distinguunt a jussis et mandatis arbitrariis, et ita fit, ut leges contemnere incipiant seque etiam supra illas efferre, quippe quae civium libertati detrectare ip-

(1) Desumta haec sunt ex Isocr. *Orat. Areop.* p. 141, quo loco vide Bergmanni Obss.

(2) Plat. l. l. p. 563. D. E. Cf. Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 43.

(3) „Cave putes autem," ait Cicero, „mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare, quam effrenatam insolentiâ multitudinem," l. l. c. 42.

ipsis videantur. Verum, quae est Platonis verissima, a Cicerone (1) expressa, sententia: „Ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute afficit. Sic omnia nimia, cum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertunt, maximeque in rebus publicis evenit; nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cedit." Nascitur enim inde, ut significat Plato, tyrannis, quae haud dubie pestis est civitatum. Id autem quomodo eveniat, idem denuo nobis adumbret philosophus.

Quum igitur res ad eum pervenerunt statum, populus ut coërceat eos, qui, freti nimiâ libertate, suis tantum commodis student, uni alicui solet rerum suarum curam ac defensionem mandare maximisque eum opibus et honoribus cumulare. Ille, cognito favore populi, mox excogitat calumnias atque e medio tollit, quos sibi metuendos putat. Quo magis autem sibi ipsi prospiciat, a civibus corporis satellites petit et facile impetrat (2). Tum vero „ὁ προστάτης ἐκεῖνος αὐτὸς δῆλον δὴ ὅτι μέγας μεγαλωστὶ οὐ κεῖται, ἀλλὰ καταβαλὼν ἄλλους πολλοὺς ἕστηκεν ἐν τῷ δίφρῳ τῆς πόλεως, τύραννος ἀντὶ προστάτου ἀποτετελεσμένος" (3).

Ec-

(1) Cic. l. l. c. 44.

(2) Animadvertit Cl. v. Heusde, *Diatr.* p. 73. a Platone suo tempore significatos jam fuisse milites Praetorianos, quales postea apud Romanos exstiterunt.

(3) Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 565. B. — 566. D. Cf. de ty-

Ecce veram tyrannidis originem, historiae traditionibus satis superque confirmatam. Sed item breviter videamus de iis, quae Plato tum de ipsius tyranni tum de civitatis felicitate animadvertit. Primis ille diebus ac temporibus in quoscunque inciderit, eos comiter salutabit, ut, plenâ populi gratiâ collectâ, sensim tyranni partes apertius etiam agere possit. Quo facto, bella excitare studet, ut et cives ejus ope indigeant et ipse occasionem sibi comparet perdendi eos, quos agnovit liberali esse ingenio et detrectaturos imperio suo suspicatur. Acriter iccirco perspiciat oportet, ecquis fortis sit, ecquis magnanimus, ecquis prudens, ecquis dives; atque tam felix est, ut his omnibus sive velit seu nolit infestus esse debeat et insidiari, donec civitatem purgaverit. Tum sane felicis est necessitatis vinculis adstrictus, qua vel cum plurimis improbis vitam agere cogitur, a quibus etiam odio habeatur, vel omnino non vivere. Aucto deinde satellitum numero, sacra ac profana omnia spoliat civiumque opes tributa exigendo exhaurit, qui tum demum, sed sero, eheu! intelligunt, quam crudelem aluerint bestiam. Tum enim „ὁ δῆμος φεύγων καπνὸν δουλείας ἐλευθέρων, εἰς πῦρ δούλων δεσποτείας ἂν ἐμπεπτωκὼς εἴη, ἀντὶ τῆς πολλῆς ἐκείνης καὶ

tyrannidis ortu Herod. Lib. III. c. 82. Aristoteles tyrannos antiquos e demagogis exstitisse censet, siquidem illi et eloquentiâ et belli gerendi peritiâ valerent, Lib. V. *Politic.* c. 4. §. 4. Quae quidem sententia a Platonica haud magnopere discrepare videtur.

καὶ ἀκαίρου ἐλευθερίας τὴν χαλεπωτάτην τε καὶ πικροτάτην δούλων δουλείαν μεταμπισχόμενος". (1).

Est haec tyrannidis cum origo tum natura, qualis nobis a Platone proponitur; verum non modo hic, sed fere nemo non ex antiquis deterrimam ejus indolem significavit: nam hac in re mirum quantum conveniat tota antiquitas. Tyrannide nihil ipsis videbatur neque civitati perniciosius neque omnino detestabilius. Audiamus, quaeso, Corinthium Sosiclem apud Herodotum. Convocarunt Lacedaemonii socios et, prosperam Atheniensium fortunam aegre ferentes, Hippiam reducere Athenas inque tyrannidem restituere conantur. Quo audito indignatur Sosicles et exclamat: *Ἦ δὴ ὅ, τε οὐρανὸς ἔσται ἔνερθε τῆς γῆς, καὶ ἡ γῆ μετέωρος ὑπὲρ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ οἱ ἄνθρωποι νομὸν ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι, καὶ οἱ ἰχθυες τὸν πρότερον ἄνθρωποι, ὅτε γε ὑμεῖς, ὦ Λακεδαιμόνιοι, ἰσοκρατίας καταλύοντες, τυραννίδας ἐς τὰς πόλις κατάγειν παρασκευάζεσθε· τοῦ οὔτε ἀδικώτερον οὐδέν ἐστι κατ' ἀνθρώπους, οὔτε μιαιφονώτερον. εἰ γὰρ δὴ τοῦτό γε δοκέει ὑμῖν εἶναι χρηστὸν, ὥστε τυραννεύεσθαι τὰς πόλις, αὐτοὶ πρῶτοι τύραννον καταστησάμενοι παρὰ σφίσι αὐτοῖσι, οὕτω καὶ τοῖσι ἄλλοισι δίζησθε κατιστάναι· νῦν δὲ, αὐτοὶ ἄπειροι ἐόντες τυράννων, καὶ φυλάσσοντες δεινότατα τοῦτο ἐν*

(1) Plat. l. l. p. 566. D. — 569. C. Apprime cum his conveniunt, quae leguntur de Corinthiorum tyrannis apud Herod. Lib. V. c. 92. Cff. quae de tyranni natura et conditione cum aliis permultis memorant Herod. Lib. III. c. 80. et Arist. *Politic.* Lib. IV. c. 8.

ἐν τῇ Σπάρτῃ μὴ γενέσθαι, παραχρᾶσθε ἐς τοὺς συμμάχους· εἰ δὲ αὐτοὶ ἔμπειροι ἔατε, κατάπερ ἡμεῖς, εἴχετε ἂν περὶ αὐτοῦ γνώμας ἀμείνονας συμβάλλεσθαι ἤπερ νῦν" (1). Ne plura seligam ex hacce egregia Sosiclis oratione, qua pessimam tyranni indolem probat deinde Cypseli et Periandri, Corinthi tyrannorum, exemplis, ipsa disputationis hujus lege prohibeor. Ne autem Graecos tantum hoc in genere laudare videar, elegantissima tandem hisce apponenda est Ciceronis de tyranno sententia: „Hic est enim," ait, „dominus populi, quem Graeci tyrannum vocant: nam regem illum volunt esse, qui consulit ut parens populo conservatque eos, quibus est praepositus, quam optima in conditione vivendi. — Simulatque enim se inflexit hic rex in dominatum injustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque tetrius neque foedius, nec Dis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest: qui, quamquam figurâ est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omnium hominum genere nullam juris communionem, nullam humanitatis societatem velit (2).

Hisce omnibus bene perpensis, dubium esse non potest, cui potissimum causae extremum istud tyranni apud antiquos odium tribuendum sit. Is enim, si-

(1) Herod. Lib. V. c. 92.
(2) Cic. *de Rep.* Lib. II. c. 26.

sive Rex sit seu civis nobilior, in quem favorem suum gratiamque contulit populus, sensim ita hac re efferri solet ac fastidiose se gerere, ut, omne dum nefas et injustum perpetrat, tandem vere tyrannus factus legum, quae civitatis saluti prospiciunt civiumque jura tuentur, ipse omnem tollat vim et pro arbitrio res civitatis administret. Tum profecto de civium aequalitate et libertate actum est, tum omnino nulla est respublica, quia nempe haec, ut docet Cicero, non amplius *res populi* esse dici potest (1). Itaque civium aequalitate tota sublata, ipsa civitas citato gradu ad ruinas vehitur. Haud dubie id significat quoque apud Platonem Socrates: „Εἰ δ' ἄνθρωπος εἷς, ἢ ὀλιγαρχία τὶς, ἢ καὶ δημοκρατία, ψυχὴν ἔχουσα ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ὀρεγομένην, καὶ πληροῦσθαι τούτων δεομένην, στέγουσαν δὲ οὐδὲν, ἀλλ' ἀνηνύτῳ καὶ ἀπλήστῳ κακῷ νοσήματι ξυνεχομένην, ἄρξει δὴ πόλεως ἤ τινος ἰδιώτου, καταπατήσας ὁ τοιοῦτος τοὺς νόμους· ὃ νῦν δὴ ἐλέγομεν, οὐκ ἔστι σωτηρίας μηχανή" (2). Et sic quidem jure tyrannidem antiquitas τὸ ἔσχατον τῆς πόλεως νόσημα vocasse videtur (3).

Erit

(1) Ap. August. *de Civ. Dei*, Lib. II. c. 21. Cf. Cic. *de Rep.* Lib. III. c. 21.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. IV. p. 714. A.

(3) Non mirum igitur, tyrannicidis olim tantos fuisse tributos honores, imo majores quam qui fortiter rem pro patria gessissent. Etenim civitas ab hostibus obsessa facilius in libertatem vindicari poterat, tyrannide vero pressa evertebatur plane. Similiter apud Orientales summis laudibus celebrari solebat sanguinis vindicta, quamquam hanc in-

Erit fortasse quispiam qui hisce ita adversetur, ut statuat, non *semper* tyrannidem evertere solere civitates, allato Pisistrati Atheniensis aliorumque exemplo. Et, fateor, bonus omnino ille tyrannus fuit legumque Solonis servandarum studiosissimus; — scripsit enim Plutarchus: „Ὁ Πεισίστρατος ἐγκρατὴς γενόμενος τῶν πραγμάτων, οὕτως ἐξεθεράπευσε τὸν Σόλωνα, τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος καὶ μεταπεμπόμενος, ὥςτε καὶ σύμβουλον εἶναι, καὶ πολλὰ τῶν πρασσομένων ἐπαινεῖν. καὶ γὰρ ἐφύλαττε τοὺς πλείστους νόμους τοῦ Σόλωνος, ἐμμένων πρῶτος αὐτὸς, καὶ τοὺς φίλους ἀναγκάζων" (1); — sed, ut verbo dicam, Pisistratus suâ fuit voluntate bonus atque, etiamsi leges patrias non contemsit, contemnere tamen eas potuit et rempublicam pro lubitu gerere. Nam, quod rite animadvertit Aristoteles, ipsi tyranni civibus *Lex* sunt (2).

Quodsi jam quaeratur, qui fieri soleat, ut ad tantam proruat populus licentiam, ut, mite legum imperium aspernatus, durum tyrannidis jugum accipere cogatur; non potest non rei causa continuo esse manifesta. Uti enim libertatem civilem veluti fundum suum habere constat in *bonis* civium moribus, ita e *corruptis* illis exoritur utique licentia. Amis-

inter et tyrannicidium id potissimum discrimen obtinet, quod sanguinis vindicta ad familiam tantum, tyrannicidium ad totam civitatem referebatur, quod diserte exponit Cl. van Heusde, *Diatr.* p. 80. sqq.

(1) Plutarch. *vit. Solon.* c. 31. Cf. Herod. Lib. I. c. 59.

(2) Aristot. *Politic.* Lib. III. c. 8. § 2.

Amisso enim justitiae et pudoris sensu, dissoluti moribus cives, quod justum, quod honestum est flocci aestimantes, quodcunque suam coërceat lasciviam et petulantiam frenum repudiant excutiuntque. Nihil tantam iis parit molestiam, quantam vel minima servitii forma, ut ipsum adeo servitii, voluntarii etiam, nomen audire piaculum ducant. Itaque severo illo et intolerabili, ut opinantur, legum imperio contemto, quocunque trahat lubidinum impetus, eo temere ac inconsiderate ruunt (1). Ubi autem eo pervenit effrenata licentia multitudo, praeterquam quod in comitiis causam reipublicae non amplius sustentant, eatenus illi sibi pararunt agendi libertatem, ut quod sibi vindicant jus, id ceteri omnes habeant, ut omnes pariter pro lubitu agant inque semet invicem saeviant, ut re vera nulla in tota civitate adsit libertas, cujus quae etiam remansit formam tandem delet prorsus orta tyrannis. Probabunt haec item egregie antiquarum gentium fata.

§. 2.

E lapsu reipublicae Lacedaemoniorum.

Caverat, quod supra ostendi, omni studio Lacedaemoniorum legislator, ne corrumperentur civium suo-

(1) Similiter suorum maxime aequalium nequitiam notans Horatius, *Carm.* Lib. III. Od. XXIV. vs. 35.:

„ *Quid leges sine moribus*
Vanae proficiunt?"

suorum mores, quo factum, ut satis diu floreret vigeretque respublica et virtutis cultu esset in ceteris Graecis conspicua. Ut vero a legibus recedere coeperunt Lacedaemonii, brevi quidem ingentem sunt gloriam nacti, sed ita viam simul sibi pararunt ad pejores mores et civitatis interitum. Sensim enim et aurum divitiasque sibi conquirere et principes evadere Graeciae studuerunt (1), quod utrumque repugnabat plane Lycurgi legislationi. Consuluerat hic egregie civium robori et virtuti bellicae, non ut imperandi studio ducti alios populos bello tentarent, sed quo acrius patriam suam ab hostibus infestatam defenderent vitamque beatam ex virtute et civili concordia sibi compararent (2). Dominatum vero posterioribus temporibus spectasse Spartanos vel ex *στάσει* (3) quam moverunt, vulgo belli Peloponnesiaci nomine dictâ, luculente apparet. Ferre enim majorem Athenarum splendorem, maxime *τῆς θαλασσοκρατίας* honore auctum, nullo modo poterant, ideoque ambitioni suae indulgentes plurimas Graeciae civitates in Athenienses concitabant. Ubi autem Lacedaemon voti compos facta erat se-

(1) Xenoph. *de Rep. Laced.* c. 14.

(2) Plutarch. *vit. Lyc.* c. 30. init.

(3) Verissime enim Plato: „Ἕλληνας μὲν ἄρα βαρβάροις καὶ βαρβάρους Ἕλλησι πολεμεῖν μαχομένους τε φήσομεν καὶ πολεμίους φύσει εἶναι, καὶ πόλεμον τὴν ἔχθραν ταύτην κλητέον· Ἕλληνας δὲ Ἕλλησιν, ὅταν τι τοιοῦτον δρῶσι, φύσει μὲν φίλους εἶναι, νοσεῖν δ' ἐν τῷ τοιούτῳ τὴν Ἑλλάδα καὶ στασιάζειν, καὶ στάσιν τὴν τοιαύτην ἔχθραν κλητέον," *de Rep.* Lib. V. p. 470. C.

semelque in patrias leges peccaverat, in maximam deinde proruit morum pravitatem. Etenim quum antea Lycurgi jussu (1) omni opera a divitiis et luxu cavissent, mox iis perquam fuerunt delectati. Ita „Ἄγιδος βασιλεύοντος, εἰσεῤῥύη νόμισμα πρῶτον εἰς τὴν Σπάρτην, καὶ μετὰ τοῦ νομίσματος πλεονεξία καὶ πλούτου ζῆλος ἐπέβη, διὰ Λύσανδρον· ὃς, αὐτὸς ὢν ἀνάλωτος ὑπὸ χρημάτων, ἐνέπλησε τὴν πατρίδα φιλοπλουτίας καὶ τρυφῆς, καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον ἐκ τοῦ πολέμου καταγαγὼν, καὶ τοὺς Λυκούργου καταπολιτευσάμενος νόμους" (2). Ubi autem irrepserat in civitatem auri argentique admiratio, comitataque fuerat divitiarum possessionem avaritia et sordes, usum fructumque luxus, mollities atque profusio; bonis plurimis excidit Sparta (3). *Quid enim faciant leges, ubi sola pecunia regnat?* (4). Evaserunt ita paulatim Lacedaemonii, quod in timocratiâ describendâ observat Plato „φειδωλοὶ χρημάτων, ἅτε τιμῶντες καὶ οὐ φανερῶς κτώμενοι, φιλαναλῶται δὲ ἀλλοτρίων δι' ἐπιθυμίαν, καὶ λάθρα τὰς ἡδονὰς καρπούμενοι, ὥσπερ παῖδες πατέρα τὸν νόμον ἀποδιδράσκοντες, οὐχ ὑπὸ πειθοῦς, ἀλλ' ὑπὸ βίας πεπαιδευμένοι διὰ τὸ τῆς ἀληθινῆς Μούσης τῆς μετὰ λό-

(1) Plutarch. l.l. c.19. f.

(2) Plutarch. l.l. c.30. Cf. *vit. Agid.* c.5. Agis autem, de quo h.l. sermo est, patre usus fuit *Archidamo*, Plutarch. l.l. c.29. f.

(3) Plutarch. *vit. Agid.* c.3.

(4) Sunt verba Petronii, c.14.

λόγων τε καὶ φιλοσοφίας ἠμεληκέναι καὶ πρεσβυτέρως γυμναστικὴν μουσικῆς τετιμηκέναι" (1).

Sed vel sic tamen quum retineretur Spartae ratio hereditatum, quam praescripserat Lycurgus, ut nempe pater filio suam sortem relinqueret, idem ordo et aequalitas utcunque in civitate permanens ceteris peccatis obstitit. Post vero, ut tradit Plutarchus, exstitit Ephorus quidam, nomine Epitadeus, qui, simultatem cum filio exercens, rhetram promulgabat, licere unicuique hereditatem suam sortemque cuicunque vellet et inter vivos donare et relinquere testamento. Atque hic quidem quo irae suae privatae satisfaceret, eam tulit legem; ceteri vero prae avaritia comprobantes et sciscentes, optimam constitutionem convellerunt. Nam citra delectum deinde possessiones quaerebant potentiores, successionibus propinquos pellentes, brevique opulentiâ ad paucos confluente, inopia civitatem occupavit, illiberalitatem efficiens atque a bonis artibus distrahens cum invidia et odio locupletium (2).

Hac morum depravatione mutuaque discordia, qua spretis legibus laborabant Spartani, tandem cives suos liberare conatus est Agis, Eudamidae filius, et ad pristinam legum observantiam ac liberta-

(1) Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 548. B.

(2) Plutarch. l. l. c. 5. Hanc Spartanorum discordiam, e divitiarum abundantia oriundam, natasque inde divitum et pauperum factiones respexisse videtur Plat. *de Rep.* Lib. VIII. p. 550. C. sqq. in adumbranda oligarchia, ut animadvertit Cl. van Heusde, *Init.* Vol. III. p. 149.

tatem, quantum liceret, reducere. Dicere enim solebat, se regnum minime appetere, nisi id per ipsas leges reciperet majorumque instituta (1). Et vero, res prospere ei cessura primum videbatur, quum sponte ad virtutem se accingerent juvenes, libertatis causâ prout vestem vivendi rationem mutantes. Majores vero natu severam Lycurgi disciplinam, quemadmodum dominum e fuga reduces servi, timebant et expavescebant, insectabanturque adeo deplorantem reipublicae statum Agidem ac veterem desiderantem Spartae dignitatem (2). Agidis, quem deinde perdidit suus restituendi libertatem amissam ardor, laudabile exemplum secutus est Cleomenes, cui item displicebant mores suae civitatis, in qua otio et voluptatibus demulcerentur cives, negligerentur res publicae et singuli suis tantum commodis prospicerent (3). Sed hujus etiam vani fuere conatus. Posteaquam enim Achaeorum civitati praefici studuerat idque non tulerant Achaei, magnum hos inter et Spartanos odium bellumque exstitit. Achaei auxilium nacti ab Antigono Dosonte Cleomenem ad Sellasiam devictum fugarunt. Ab hoc inde tempore evanuit Spartae nomen decusque, et tyrannis subjecta misere civitas languit. Exstincta enim prorsus est antiqua populi virtus, quique sine moenibus cives plurima saecula liberi, aliquando etiam principes Grae-

(1) Plutarch. *Vit. Agid.* c. 4. f.
(2) Plutarch. l. l. c. 6.
(3) Plutarch. *Vit. Cleom.* c. 2. sq.

Graeciae fuerant, deinde muris, velut compedibus, circumdatis vincti, in extremam servitutem detrusi sunt (1), ut tandem, amicitiâ quadam cum Romanis initâ, ab horum fere arbitrio pependerint.

Patet igitur satis, opinor, vel e sola hujus gentis fatis, quod maxime nunc spectamus, moribus corruptis negligi spernique leges, neglectis spretisque legibus tolli civibus libertatem. Nec meliora docebit, quam nunc contemplatum eamus, Athenarum respublica.

§. 3.

E lapsu reipublicae Atheniensium.

Instituerat Athenis Solon democraticam regiminis formam, non meram quidem, sed temperanter mixtam (2). Magistratus autem non unicuique promiscue concesserat, sed opulentioribus tantum optimisque civibus (3). Veruntamen quod ille tam prudenter sanciverat, id immutatum haud ita multo post est operâ Aristidis, ut deinde omnibus pariter civibus gerere magistratus liceret (4). Hujus au-

(1) Liv. *Hist.* Lib. XXXIX. c. 37. Moenibus enim cingi Spartam noluerat Lycurgus, quia putabat urbem fortibus civibus cinctam bene esse munitam, ut tradit Plut. *Vit. Lyc.* c. 19. f.

(2) Aristot. *Politic.* Lib. II. c. 9 §. 2.

(3) Plut. *Vit. Sol.* c. 18. init. Vid. imprimis etiam Isocrates, *Orat. Areopag.* p. 141. sq.

(4) Plutarch. *Vit. Arist.* c. 22.

autem populisciti tantus postea abusus fuit, ut nulla plane requireretur Politicae peritia, sed unusquisque de gravissimis rebus publicas instituerent deliberationes, faber lignarius, aerarius, sutor, mercator, nauta, dives, pauper, nobilis, ignobilis, omnes pariter rempublicam gererent (1). Qua quidem perversa civium aequalitate, quam immutatis legibus induxerant, effectum est, ut et bona ordinum aequalitas, prudenter a Solone instituta, tota evanesceret et magis etiam in licentiam prorueret civitas. At haec justo ordine exponenda sunt.

Post bella Persica mirum quantum splendere coeperit cum Graeciae totius tum praecipue Athenarum nomen. Athenienses enim eum inde maxime fructum perceperunt, „*ὥςτε ὀλίγας ἡμέρας στερηθέντες τῶν αὐτῶν, πολὺν χρόνον δεσπόται τῶν ἄλλων κατέστησαν*" (2). Etsi autem jam antea re nautica Athenienses ceteris Graecis praecelluerant, post haec tamen tempora multo etiam magis ei operam dare et mercaturam imprimis extendere coeperunt, unde maxime factum, ut *τὴν θαλασσοκρατίαν* impetraverint. Docet autem Plato, Athenienses, ubi rei nauticae ita studuerunt, ut bellum mari potius quam terrâ gererent, „*ἐθισθῆναι, πυκνὰ ἀποπηδῶντας δρομικῶς εἰς τὰς ναῦς, ταχὺ πάλιν ἀποχωρεῖν, καὶ δοκεῖν μηδὲν αἰσχρὸν ποιεῖν, μὴ τολμῶντας ἀποθνήσκειν, μένοντας ἐπι-*

(1) Plat. *Protag.* p. 319. D. Hanc pessimam omnium aequalitatem et libertatem ex Aristophane delineavit Cl. Heyne, *Opusc.* Vol. IV. p. 392. sqq.

(2) Isocrat. in *Archid.* p. 124.

ἐπιφερομένων πολεμίων· ἀλλ' εἰκαίας αὐτοῖς γίνεσθαι προφάσεις καὶ σφόδρα ἑτοίμας, ὅπλά τε ἀπολλῦσι, καὶ φεύγουσι δή τινας οὐκ αἰσχρὰς, ὥς φασι, φυγάς" (1). Sed praeterea quum adeo indulgerent Athenienses mercaturae agendae studio, mores inde haud parvam labem contraxerunt. Nam uti, antiquarum praesertim civitatum ratione habitâ, verissime elocutus est Cicero: „Est maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac mutatio morum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis, et importantur non merces solum adventitiae, sed etiam mores, ut nihil possit in patriis institutis manere integrum" (2). Et omnino Athenae cum Corintho aliisque civitatibus triste deinde hujus rei exemplum suppeditarunt. Constat certe eum in modum exuere paulatim Athenienses majorum virtutem coepisse, ut Periclis aetate ad tantam jam processissent segnitiem, ut festos dies splendidosque ludorum apparatus fere unice curarent, adeo facti loquaces et loquacitatis amantes, „*ὥστε εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον*" (3). Desiderabatur omnino Periclis aetate mora-

(1) Plat. *de Legg.* Lib. IV. p. 706. C., quem locum affert Nob. de Geer, *Diatr.* p. 41., qui omnino hac de re conferendus est.

(2) Cic. *de Rep.* Lib. II. c. 4. init.

(3) Culpam horum aliorumque vitiorum in Periclem ipsum, ejus maxime *eloquentiam* respiciens, contulit Plato, quum animadverteret „Περικλέα πεποιηκέναι Ἀθηναίους ἀργοὺς καὶ δειλοὺς καὶ λάλους καὶ φιλαργύρους," *Gorg.* 515. E. Cf.

ralis civium praestantia. Lucri studio mores varii atque infidi evaserant, ut civitas esset tum internâ destituta fide et amicitiâ, tum ceteris civitatibus invisa (1). Ipse autem Pericles vel eo quod, Ephialtis operâ usus, fregit Areopagi munera (2), quae in custodiendis legibus censendisque moribus cernebantur potissimum, summopere reipublicae nocuisse videtur. Antea enim, teste Isocrate, „ὑπὸ μὲν ἐκείνης τῆς εὐταξίας οὕτως ἐπαιδεύθησαν οἱ πολῖται πρὸς ἀρετὴν, ὥςτε σφᾶς μὲν αὐτοὺς μὴ κινεῖν· τοὺς δὲ εἰς τὴν χώραν εἰςβάλλοντας, ἅπαντας μαχόμενοι νικᾷν" (3). Hisce omnibus prava accedebat Sophistarum doctrina, qui, ipsi justâ doctrinâ veris-

Cf. Plutarch. *Vit. Pericl.* c. 11. f. Verum enim vero, Politicum quaerebat Plato, qui optime civitatem administraret, oratorem quaerebat, qui non blandiretur civibus, non gratificaretur eorum lubidinibus, sed suâ ipsos redderet oratione meliores, virtutis amorem in ipsorum animis excitaret aleretque. Quod quum spectaret neque in Pericle inveniret, quippe qui Athenarum quidem splendori adaugendo, non vero moribus civium emendandis consuluisset, Politicum huncce, honoribus laudibusque ab omnibus veluti mactatum, non admodum ipse celebravit, quo aptius ejus loco perfectam proponeret ad imitandum imaginem. Vid. omnino Cl. van Heusde, *Init.* Vol. II. P. I. p. 101. sqq., praesertim p. 109. sq. Cf. Stallbaum. ad Plat. l. l., uti etiam W. C. L. Clarisse et J. C. G. Boot in suis *de Pericle* commentationibus, Traj. ad Rh. 1834., p. 117. sq. et p. 93. sq.

(1) Plat. *de Legg.* Lib. IV. 705 A. Cf. Nob. de Geer, l. l. p. 42. 43.

(2) Plutarch. *Vit. Pericl.* c 7., c. 9. Aristot. *Politic.* Lib. II. c. 9. §. 3. Cf. Cl. Luzac in *Socr. cive*, p. 58.

(3) Isocrat. *Orat. Areop.* p. 156.

risque destituti opinionibus, vulgi aures varie captabant et adulatoriâ istâ arte usi juventutem plane corrumpebant (1).

Incidit in tempora ista bellum, quod dicitur, Peloponnesiacum, e quo acerbissimum tulerunt Athenienses fructum, ut a Lacedaemoniis devicti in crudelem deinde pervenerint civium quorundam, triginta tyrannorum nomine, dominationem (2). Nulla tum fuit populi res. Ipsi enim tyranni omnem deprimentes civium libertatem optimum quemque interficere, ipsum adeo Theramenem, qui civium causam tuendam suscipiebat, haud verebantur (3). At simul morum honestas in civitate per erat exigua. Plato rem repetit e mutata musices ratione, tragoediam maxime et comoediam respiciens (4), quae

(1) Sophistarum disciplinam eorumque noxiam in populum Atheniensium vim e Platone optime illustravit Nob. de Geer, p. 4. sqq. p. 53. sqq.; quocum conferri merentur Cl. v. Heusde, *Init.* Vol. II. P. I. p. 13. sqq. et doct. Groen, *Prosop. Plat.* p. 77. sqq.

(2) Cernitur hac in re Spartanorum prudentia. Quodsi enim externos praeponi sibi vidissent Athenienses, id non tantum non tulissent, sed libertatis amore excitati armis eam studuissent vindicare. Civibus vero suis multo lubentius, rerum statu acquiescentes, obedituri videbantur. Similiter egerunt postea in Graecis civitatibus Macedones.

(3) De Athenarum hoc tempore conditione legg. Isocr. l. l. p. 153. quosque ibi laudat Bergmann.; Xenoph. *Hist. Gr.* Lib. II. c. 3. Plura dabunt Cl. Luzac, in anim. ad *Orat. de Socr. cive*, p. 253. sq. et doct. D. T. Siegenbeek, *diss. hist. et liter. de Athen. condit. sub imp. Triginta Tyrannorum*, L. B. 1818.

(4) Plat. *de Legg.* Lib. III 700. D. sqq. Cf. Cl. v. Heusde, *Init.* Vol. III. p. 68. sq.

quae tamen viri summi sententia unice ad mores referri debet. „*Οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων*" (1). Scilicet continuit olim musica poësin simul et referebatur utraque ad res sacras, ejusque integritas ad puerorum animos apte instituendos requirebatur quam maxime. Illa vero aetate musici modi mutati referebantur unice ad cives delectandos, qui deinde jus sibi arrogabant de re musica decernendi et de quacunque re pronunciandi. Haec tandem licentia omnia invasit, ut, quum sibi quisque idoneus videretur cujusvis negotii judex, pudorem exciperet impudentia, modestam legum reverentiam petulans licentia; quod quidem in Platonis *de Legibus* opere aperte significatur. Ibi enim suam procul dubio civitatem spectans Plato: „*Ἐφεξῆς δὴ ταύτῃ τῇ ἐλευθερίᾳ ἡ τοῦ μὴ ἐθέλειν τοῖς ἄρχουσι δουλεύειν γίγνοιτ' ἄν· καὶ ἑπομένη ταύτῃ, Φεύγειν πατρὸς καὶ μητρὸς καὶ πρεσβυτέρων δουλείαν καὶ νουθέτησιν. καὶ ἐγγὺς τοῦ τέλους οὖσι, νόμων ζητεῖν μὴ ὑπηκόοις εἶναι. πρὸς αὐτῷ δὲ ἤδη τῷ τέλει, ὅρκων καὶ πίστεων καὶ τὸ παράπαν θεῶν μὴ Φροντίζειν, τὴν λεγομένην παλαιὰν Τιτανικὴν Φύσιν ἐπιδεικνῦσιν καὶ μιμουμένοις· ἐπὶ τὰ αὐτὰ πάλιν ἐκεῖνα ἀφικομένους, χαλεπὸν αἰῶνα διάγοντας, μὴ λῆξαι ποτὲ κακῶν*" (2). Nec mirum: nam depra-

va-

(1) Plat. *de Rep.* L. IV. 424. C. Idem ante Platonem dixerat musicus Damon, ut observat Cl. den Tex, *de vi mus.* p. 132., qui omnino de hac Platonis sententia consulendus est, impr. p. 148. sqq.

(2) Plat. *de Legg.* Lib. III. 700. D. — 701. C.

K 2

vatâ musicâ corrupta etiam erat juventutis institutio, ut in custodum constituenda in *Politia* educatione animadvertit Plato. „Τὸ δὴ φυλακτήριον, ὡς ἔοικεν, ἐνταῦθα που οἰκοδομητέον τοῖς φύλαξιν, ἐν μουσικῇ. — Ἡ γοῦν παρανομία ῥᾳδίως αὕτη λανθάνει παραδυομένη. — Ναὶ, ὡς ἐν παιδιᾶς γε μέρει καὶ ὡς κακὸν οὐδὲν ἐργαζομένη. — Οὐδὲ γὰρ ἐργάζεται ἄλλο γε ἢ κατὰ σμικρὸν εἰςοικισαμένη ἠρέμα ὑποῤῥεῖ πρὸς τὰ ἤθη τε καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, ἐκ δὲ τούτων εἰς τὰ πρὸς ἀλλήλους ξυμβόλαια μείζων ἐκβαίνει, ἐκ δὲ δὴ τῶν ξυμβολαίων ἔρχεται ἐπὶ τοὺς νόμους καὶ πολιτείας σὺν πολλῇ ἀσελγείᾳ, ἕως ἂν τελευτῶσα πάντα ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἀνατρέψῃ" (1). Factum ita deinde est, ut inertiae toti dediti aleâ maxime delectarentur juvenes, versarentur apud tibicines, in caupona ederent biberentque, scurrilitati studerent, despectui haberent parentes (2). Legendus etiam omnino Thucydides est, ut recte de turpissimis Atheniensium hac aetate moribus cogitemus, unde discordiâ summâ inter se laborantes civitatem plane divellebant (3).

Quum

(1) Plat. *de Rep.* Lib. IV. 424. D. E. Cf. Cl. v. Heusde, *Init.* Vol. III. p. 65. 58. quemque ille laudat Cl. den Tex, l. l. p 34., 35.

(2) Isocr. l. l. p. 149, ubi vid. omnino Bergmann.

(3) Thuc. Lib. III. c. 82. Ne miremur toties Platonem in scriptis suis de harmonia civitatum praecepisse, ipsa hujus prohibet qua vixit aetatis conditio. Tantarum enim turbarum quotidie testis, fieri aliter vix potuit, quin pro suo ingenii acumine et prudentia Plato pessimam Graeciae sor-

Quum igitur ita descivissent ab avitâ virtute Athenienses, ut factionibus continuis ac simultatibus perderent plane civitatem, quae legum fuerit observantia, quae judiciorum ratio, vel me non monente unusquisque continuo intelligit. Immutatam enim regiminis formam, quam Solon constituerat, modo jam memoravi. Exstitit autem postea Cleon, qui ut orator erat satis eloquens, ita turbulentum se civem praestare solebat (1) et demagogica arte usus rempublicam fere dilacerare. Summa enim rerum a principibus in civitate viris ad opifices et infimos quosque pervenerat, qui et ipsi mercede quasi conducti conciones frequentabant suâque petulantiâ bonos omnes arcebant, ut tandem armatis esset copiis opus, quae et quietem in concionibus servarent ac tranquillitatem, et invitos vi ad eas frequentandas cogerent (2). Ea denique erat temporibus illis libertatis conditio, ut quisque quod vellet, non quod deberet et e re esset patriae agere mallet, modo suâ esset opinione liber.

Haec omnia respiciens noluit Plato, ut ipse testatur, rempublicam capessere. „Οὐ γὰρ ἔτι," inquir,

sortem, ex turbis istis civilibus in posterum imprimis natam, tum attenderet, tum scriptis suis exprimeret. Inde uti repetenda alia de civitatis felicitate praecepta sunt, ita maxime quae in libris *de Rep.* de civium concordia dedit. Neque alia fuisse Ciceronis ratio videtur.

(1) Cic. in *Brut.* c. 7.

(2) Rem ex antiquis egregie explicuit Cl. Luzac. l. l. in anim. p. 126. sqq.

quit, „ἐν τοῖς τῶν πατέρων ἤθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασιν ἡ πόλις ἡμῶν διῳκεῖτο" (1). Et vero Isocratem, τὸν φύσει φιλόσοφον libertatisque verae studiosissimum, hoc modo suos cives accusantem audimus: „Πλείστους δὲ τιθέμενοι νόμους, οὕτως ὀλίγον αὐτῶν φροντίζομεν, (ἐν γὰρ ἀκούσαντες γνώσεσθε καὶ περὶ τῶν ἄλλων) ὥςτε θανάτου τῆς ζημίας ἐπικειμένης, ἤν τις ἁλῷ δεκάζων, τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν" (2). Pariter Aeschines: „Οἱ δὲ νόμοι καταλύονται, καὶ ἡ δημοκρατία διαφθείρεται, καὶ τὸ ἔθος ἐπὶ πολὺ προβαίνει· εὐχερῶς γὰρ ἐνίοτε λόγον ἄνευ χρηστοῦ βίου προςδέχεσθε" (3). Scilicet, in libertatem se vindicare studebat populus Atheniensis, sed in nimiam istam, cujus, suam fortasse significans patriam, miseram sortem nobis adumbravit Plato. Quid igitur istis cum lege ac justitia esse commune poterat? Infringere eae populi libertatem et cohibere existimabantur, servitutis adeo exsistere causae. Unde capitis reo liberum obambulare licebat, modo multitudini placuisset; contra vir probus honestusque, ob id ipsum populo invisus, morte mulctari solebat. Fieri autem non potest, ut stet neque eversa jaceat civitas, in qua judicia non magnopere rata sunt et a privatis etiam corrumpuntur (4).

Quae

(1) Plat. *Epist.* VII. p. 852. D.
(2) Isocr. *Orat. de Pac.* p. 169.
(3) Aesch. *Orat. in Timarch.* p. 25.
(4) Plat. *Crit.* p. 50. B. Cf. Aesch. l. l. p. 1. f.

Quae quum pessima esset Athenarum conditio, uti ceterae Graeciae, ita ipsis quoque ea exstiterunt tempora, quae tristissima calamitatum suarum serie manifeste ostendunt, quid ad civitatis ruinam promovendam valeant dissoluti mores civiumque licentia. Posteaquam enim, quamquam universe *fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant* (1), Thrasybulus a tyrannide patriam liberaverat, erupit mox in Graecia bellum sacrum sive Phocense. Uti enim ortum illud erat e violatis sacris et religione, ita Delphicum templum opibus suis spoliabatur, quibus sumtibus occurreretur nefarii belli. Divitiarum moles in Graeciam mox redundabat omniaque luxu ingenti complebat (2). Insidiabatur deinde manifestius Graeciae Macedonum Rex maximeque Athenis. Quî vero effeminatus Graecus fortissimo hosti acriter restitisset? Mercenario milite Graecorum alebatur exercitus (3), quum ipsi inertiae ac luxui largiter indulgerent. Neutiquam profecto ejusmodi quid in vetustis gentis monumentis invenias; sed in tanta morum corruptela patriae vix habebatur ratio. Nativa communu-

(1) Nepos *Vit. Thrasyb.* c. 2.

(2) Cf. Cl. Heeren, *Ideën* Vol. VI. p. 425. sqq.,

(3) Legatur hac de re Isocr. *ad Phil.* p. 101.; *Orat. Areopag.* p. 156.; *Panath.* p. 249.; *Epist.* II. p. 410. tum vero etiam *Orat. de Pac.* p. 167. sqq. 174., quae quidem oratio, ut aliae multae, ad internam Athenarum conditionem rite percipiendam perquam est idonea. Cf. Cl. Heeren, *Ideen*, Vol. VI. p. 297. sqq.

munitas, qua servanda maxime stabilis esse poterat reipublicae conditio, hisce temporibus magis etiam evanuerat, ut non tantum non alacriter κοινωνίαν suam ab hoste defenderent, sed principes etiam in civitate viros rem patriam turpiter negligere et praepotenti prodere Philippo haud puderet. Delectabantur adeo Athenienses nihil faciendo, rebusque perditis deliberare fere solebant (1). Optime ingenium Atheniensium cognoscimus ex ornatis orationibus Demosthenis, qui quum unus in paucis rem patriam non turpiter negligeret, acerrimus exsistebat libertatis civibus suis vindex populumque, ejus reluctans libidini et peccata insectans (2), ad bonum honestumque impellere nunquam non conabatur (3). Quid vero tali rerum statu prodesse magnopere potuisset eloquentia forensis? Fabulas narrantem lubentissime ignavi isti audiebant, res serias tractantem tantum non repudiabant (4).

Quod autem de Athenis dixi, id haud scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere. Constat saltem inter omnes, Philippi Macedonis aetate Athenas, Lacedaemonem, Thebas, Corinthum, ceteramque Graeciam mutuis discordiis et morum corru-

(1) Demosth. *Orat. Phil.* I. p. 51, 52.

(2) Plutarch. *Vit. Demosth.* c. 14.

(3) Vid. hac de re J. H. Scholten, *de Demosth. eloq. charact.* cum alibi tum maxime p. 148. sqq. Cf. Cl. van Heusde, *Init.* Vol. II. P. I. p. 85. sqq.

(4) Auctor libelli, qui continet *vitas X Oratt.* Vol. IX. p. 371. ed. Reisk.

ruptela multo magis in Macedonum venisse potestatem, quam armorum vi et copiarum multitudine. Pugnae autem ad Chaeroneam consertae dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit (1). Neque quod Arati tempore excitatum denuo est libertatis studium, restituere in integrum Graecorum res satis potuit. Quamvis enim, auctore Arato, plurimi ditionibus suis expellerentur tyranni, non tamen omnis cessavit horum auctoritas neque revixit plane interna civitatum harmonia; quo factum imprimis est, ut Romanis tandem subjiceretur Graecia.

§. 4.

E lapsu reipublicae Romanae.

Observavimus jam sensim demum paulatimque invaluisse in Romana republica aequalitatem, quae, ut constitueretur, continuis Patriciorum et Plebejorum altercationibus potissimum tribuimus, ut vero confirmaretur, XII tabularum legibus. Duravit satis diu haec Romanorum libertas, sed moribus labem contrahentibus, imminui frangique uti nullorum non populorum coepta est, transiitque tandem in meram licentiam, ut plane studiis perversis dediti quid vellent agerent. Istum autem morum lapsum ex egregia Sallustii aliorumque descriptione illustremus.

Enar-

(1) Sic fere Just. *Hist.* Lib. IX. c. 3.

Enarrata igitur antiqua popularium suorum morali praestantia, ita pergit Sallustius: „Sed ubi labore atque justitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant: saevire Fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, Deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari, post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata; imperium ex justissumo atque optumo crudele intolerandumque factum" (1). Scilicet, subactâ Carthagine, omnis procul aberat hostium metus, totos se dabant Romani colligendis augendisque opibus, quae, variis victoriis de Philippo et Perseo Macedoniae et Antiocho Syriae Regibus, tum etiam Attali hereditate allatae, mirifice Romanorum mo-

res

(1) Sallust. *B. C.* c. 10.

res labefactarunt et nullorum non vitiorum deinde auctores fuerunt. Operae pretium profecto est attendere, quae de pessima hacce morum in republica Romana labe a Livio traduntur (1), originem luxuriae peregrinae ab exercitu Asiatico in urbem invectam fuisse statuenti. Omnium autem maxime Romanae gentis libidinibus faverunt Bacchanalia, Graeca sacra, quae, auctore eodem, „nocturna tandem ex diurnis facta, primo paucis tradita sunt: deinde vulgari coepta sunt per viros mulieresque. Additae religioni voluptates vini et epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos, et nox et mixti feminis mares, aetatis tenerae majoribus, discrimen omne pudoris exstinxissent, corruptelae primum omnis generis fieri coeptae, quum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec unum genus noxae, stupra promiscua ingenuorum feminarumque erant; sed falsi testes, falsa signa testamentaque et indicia ex eadem officina exibant" (2). Sed haec de tantis vitiis satis superque dicta sint: reliqua facile mente assequimur. Et quamquam aderant Censores, quamquam leges ferebantur sumtuariae, inveteratum tamen malum altiores jam egerat radices omnemque evellerat pudorem.

Tali rerum statu non mirum gravissimas mox ex-

(1) Liv. *Hist.* Lib. XXXIX. c. 5. sqq.
(2) Liv. l. l. c. 8.

exstitisse in civitate discordias, quae a Gracchorum inde tempore penitus eam turbare coeperunt. Inde apud Ciceronem Laelius: „Quid mihi L. Pauli nepos — quaerit, quomodo duo soles visi sint, non quaerit cur in una republica duo senatus et duo paene jam populi sint? Nam, ut videtis, mors Tiberii Gracchi et jam ante tota illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas partes" (1). Et vero, quae sunt C. Memmii in senatu apud Sallustium (2) verba: „Occiso Tiberio Graccho, quem regnum parare ajebant, in plebem Romanam quaestiones graves habitae sunt. Post C. Gracchi et M. Fulvii caedem, item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit." Auctore autem Vellejo Paterculo mors C. Gracchi „initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior; discordiaeque civium, antea conditionibus sanari solitae, ferro adjudicatae; bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit" (3). Exceperunt has discordias tum bella Romanorum civilia tum in Africa Jugurthinum, quo quidem tempore is fuit legum apud Romanos cultus civiumque libertas, ut *quam quisque pessuma fecisset, tam maxume tutus esset* (4), ea morum conditio,

ut

(1) Cic. *de Rep.* Lib. I. c. 19.
(2) Sall. *B. J.* c. 31.
(3) Vell. Paterc. *Hist. Rom.* Lib. II. c. 3.
(4) Sall. l. l.

ut Jugurtha Romam relinquens dixisse feratur, *urbem venalem et mature perituram, si emtorem invenisset* (1). Ipse autem Senatus auri rapiebatur et partium studio. Revertamur ad elegantem Memmii orationem, „Postremo," inquit, „leges, majestas vestra, divina et humanà, omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnifice, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes: perinde quasi ea honori, non praedae habeant. Servi aere parati imperia injusta dominorum non perferunt; Vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis? At qui sunt hi qui rempublicam occupavere? Homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi, idemque superbissumi; quîs fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. — Quodsi tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur; et beneficia vestra penes optumos, non audacissumos forent."

Nec meliora passa deinde respublica Romana est Marii et Syllae contentionibus, quae non prouti priores populi altercationes ad stabiliendam aequalitatem pertinebant communemque spectabant civium causam, sed ad partium referebantur commoda, ut altera summum in civitate imperium prae altera ob-

(6) Sall. l. l. c. 35. Cf. id. c. 8.

obtineret. Quos igitur patriae amicos, sibi vero infestos judicabant, eos per proscriptionem exstinxerunt. Demta autem simul aequalitas est violataeque leges sunt prorogando magistratuum tempore, ut v. c. Marius Consulatum per quadriennium gesserit, quo favore ita usus est, ut conciliaret sibi quicunque secum militiam agebant. Hi autem non ex honoratioribus civium classibus, prout mos ferebat majorum, sed ex proletariorum et capite censorum numero maximam partem fuerunt scripti (1). Interea „postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere; neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque civis facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. — Hic primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra spoliare; sacra profanaque omnia polluere. — Ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere" (2). Proba juventutis educandae ratio

in

(1) Sall. *B. J.* c. 86.

(2) Sall. *B. C.* c. 11., 12.

in pessimam negligentiam ipsâ parentum nequitiâ erat depravata (1). Virtutem enim colere in desuetudinem abierat; satis ducebant claros habuisse majores, quorum gloria sibi viam ad honores stratum iri putabant (2). Quibus omnibus effectum fuit, ut Roma in dies corruptior plane tandem probaret, quod apud Plautum pronunciat in Trinummo Stasimus (3),

„ *Atque utinam veteres mores veteresque parsimoniae*
Potius majori honori hic essent quam mores mali.
Nam nunc mores nihil faciunt quod licet, nisi quod lubet.
Ambitio jam more sancta 'st, liberata legibus.
Scuta jacere fugereque hostes, more habet licentiam.
Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam,
Magis queis sunt obnoxiosi quam parentes liberis.
Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat aequius.
Neque istis quicquam lege sanctum 'st; leges mori serviunt.
Mores autem rapere properant, qua sacrum, qua publicum."

Tam

(1) Vid. hac de re B. v. d. Velden, *Comm. de puerorum ap. Rom. educatione*, Gandav. 1821. p. 90. sqq.
(2) Patet hoc imprimis ex oratione Marii, quae exstat apud Sall. *B. J.* c. 85.
(3) Plaut. *Trinumm.* Act. IV. Sc. III. vs. 21. sqq.

Tam misera populi Romani conditione invaluit Catilinae, perditi viri, cum infimis quibusque inita conjuratio. In horum autem numero uti erant quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ita fuerunt etiam qui, foeneratorum saevitiam et Praetorum metuentes, Catilinae sese addixissent, libertatis suae imprimis solliciti. Nec vero in tam corrupta civitate quod jus fasque esset a Praetore observatum semper fuerit, sed modo severius, modo mitius judicasse Praetorem perquam est verisimile, prout scilicet ipse vel creditoribus vel debitoribus faveret. Quid? quod tradit Sallustius, conjuratione patefacta misisse C. Mallium ad Q. Marcium Regem legatos, qui iniquitate Praetoris factum esse ostenderent, ut Mallius contra rempublicam cum Catilina conspirasset (1). Ille autem etsi causam suam satis excusaverit, non tamen omne fide est indignus putandus. Etenim corrupta judicia jam Gracchorum tempore fuisse diserte monet Appianus, ubi ea a Senatu ad Equites translata a Graccho narrat. Quum enim, permutatâ reipublicae potestate, in Equites transiisset potentia, honos autem Senatui fuisset relictus, eo illos processisse, ut non modo dominarentur in Senatores, sed etiam injuriis et contumeliis propalam eosdem in exercendis judiciis afficerent. „Τὴν δὲ δωροδοκίαν," pergit Appianus, „μεταλαβόντες καὶ γευσάμενοι καὶ οἵδε κερδῶν ἀθρόων, αἰσχρότερον ἔτι καὶ ἀμε-

(1) Sallust. *B. C.* c. 83.

ἀμετρότερον αὐτοῖς ἐχρῶντο. κατηγόρους τε ἐνετοὺς ἐπὶ τοῖς πλουσίοις ἐπήγοντο, καὶ τὰς τῶν δωροδοκιῶν δίκας, συνιστάμενοι σφίσιν αὐτοῖς, καὶ βιαζόμενοι, πάμπαν ἀνῄρουν" (1).

Talis jam ea aetate judiciorum Romae fuit ratio satisque diu illa perduravit. Uti autem constat in bene morata civitate legum cultu civibus vindicari libertatem, ita etiam procul dubio verum est, nisi magistratus et judices quae jubeat lex rite exsequantur, libertatem exstare haud posse. Quandoquidem autem, ubi labem populi mores contraxerunt isque lasciviae totum se dedit, negligitur ceteroquin etiam debita legibus observantia, sponte apparet, infractis a judice legibus, omnem evanescere quae supersit conservandae libertatis spem et praesidium.

Quid vero deterrimam gentis Romanae conditionem prolixius exponam, quam prudentissimi quique in civitate viri, Cato (2) aliique emendare frustra studuerunt? Dolebat vehementer hanc suorum civium degenerationem optimus Cicero. Fragmentum servatur ex ejus *de Republica* libris, quod prodit plane nobile viri ingenium, infelici patriae casu gravissime afflictum. Locum apponamus. „Ante nostram memoriam," ait, „et mos ipse patrius praestantes viros adhibebat, et veterem morem ac majorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra ve-

(1) Appian. *Hist. Rom.* Lib. I. c. 22., ed. Schweighaeus.
(2) Vidd. Plutarch. *Vit. Cat.*; Livius *Hist.* XXXIV. c. 5.

vero aetas cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed jam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus et extrema tamquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus Ennius dixit rem stare Romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuriâ; cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero jam pridem amisimus" (1). Abiit enim brevi, ut fert nimia ista populi libertas, in tyrannidem, ut nulla omnino esset respublica. Unus magistratus summam habebat Imperatoris nomine auctoritatem; nec quamquam Caesare interficiendo libertatem restituere conati sunt Brutus et Cassius, pertinuit caedes illa ad reipublicae salutem, cujus nempe corruptior status erat, quam qui corrigi posset. „Erant fere omnes Syllani, Cinnani, Mariani, Caesariani; Romani reperiebantur paucissimi. Ruebat ita in interitum suum Respublica Romana, quip-

(1) Ap. August. *de Civ. Dei*, Lib. II. c. 21. Cf. Cic. *de Rep.* Lib. III. c. 19.; *de Orat.* Lib. I. c. 9.; *de Off.* Lib. I. c. 11.; Lib. II. c. 1., c. 8.; *de Amic.* c. 12.; *Epist. ad Att.* Lib. IV. *Ep.* 16.

quippe non una amplius, ut olim, sed in multas partes distracta. Imo divisa poterat dici in varias *κοινωνίας*, societates, respublicas, sibi invicem inimicas et adversus se invicem alias gentes invocantes" (1). Non enim Romae tantum, sed in provinciis etiam multae factiones altercationesque existebant, quum suspectum plerisque esset Senatus Populique imperium, ob certamina potentium et avaritiam magistratuum; invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur (2). Tantam autem labem quum populi Romani mores contraxissent, simul etiam degenerari necessario debuit eloquentia forensis et altrix evadere turbulentarum in civitate factionum. Audiamus quae tam eleganter hac de re ab Auctore *Dialogi de Oratoribus* traduntur: „Jam vero conciones adsiduae, et datum jus potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, (cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione, aut Sulla, aut Cn. Pompejo, abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque adrectioribus auribus uterentur) quantum ardorem ingeniis, quos oratoribus faces admovebant! Non de otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna ista et notabilis eloquentia, alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi in-

(1) Ita Cl. v. Heusde, *Diatr.* p. 60.
(2) Tacit. *Annal.* Lib. I. c. 2.

incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, adrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. — Nostra civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in Senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus Magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas laetiores; sed nec tanti Reipublicae Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et leges; nec bonae formam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit" (1).

Sic igitur sub Caesaris tempora in gente Romana sese res habuerunt, pejoresque sensim sub reliquis Imperatoribus e malis factae sunt. Caesaris loco deinceps functus est Octavianus Augustus, qui, antiquâ reipublicae specie relictâ, *insurgere paullatim, munia Senatus, Magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante*, coepit (2). Erant autem, ut fit, Imperatores modo meliores, modo pejores; sed quia nullis fere finibus circumscripta eorum potestas erat, omnem animi impetum libere sequi poterant et sequebantur adeo. Senatum autem et Comitia, quibus continebantur antiquae civitates, tantum non sustulerunt Imperatores. Jam inde a J. Caesare languere coepit Senatus auctoritas, quae

(1) Auct. *Dial. de Oratt.* c. 40.
(2) Tacit. l. l.

quae temporum decursu tota fere evanuit (1). Comitia autem populi ex urbe sublata in castra Tiberius transtulit (2). Vix enim id temporis civilis Romae ratio obtinebat; sed militari potius utebantur. Sic sensim imminuta fractaque est Senatus Populique majestas inque Imperatores et milites delata. Neque aliud quid velle Romani videbantur, siquidem Imperatores, qui ipsos ad antiquos revocare mores conarentur, odio haberi solebant. *Panes* postulabant et *Circenses*. Totos se dabant voluptatibus explendis festisque celebrandis, ut qui Imperator plurimum ipsorum cupiditatibus indulgeret, is prae omnibus esset dilectus (3).

Quae autem fuerit hisce temporibus juventutis educandae ratio, vix opus est ut moneam. Vitiis in utero paene matris conceptis, tradebatur infans Graeculae ancillae, cui adjungebatur unus e servis, plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Nec quisquam in tota domo reperiebatur, qui pensi haberet, quid coram infante domino aut faceret aut diceret; ipsi adeo parentes nec probitati neque modestiae parvulos adsuefaciebant,

(1) Libertatis autem recuperandae occasionem etsi saepe nactus est postea Senatus, tamen arripere neglexit, quandoquidem una cum amissa libertate sensu item libertatis destituti fuisse Romani videntur. Vid. Cl. Heyn. *Orat. de vanis Senatus Rom. conatibus restituendi libertatem reip.* quae exstat *Opusc.* Vol. IV. p. 313. sqq.

(2) Tacit. l. l. c. 15.

(3) Cf. van den Velden, l. l. p. 111.

bant, sed lasciviae et dicacitati, per quae necessario paullatim impudentia inrepere et sui alienique contemptus debebat (1). „Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat, eoque profusius erat omnibus modis quaestui atque sumtui deditus" (2). Respiravit aliquamdiu respublica sub Antoninis, quibus si similes successissent Imperatores, fortasse restitutae fuissent populi Romani res. Quidquid est, negligi ab hoc inde tempore coepit res militaris, exstingui fere totus patriae amor, tolli civium conjunctio, qua constare debet respublica, amitti libertas. Extera autem auxilia magno pretio ad belli usum conducendo, ipsi Romani auctores fuerunt, ut gentes illae cum invalescerent tum imperium Romanum occuparent.

(1) Auct. *Dial. de Oratt.* c. 29.

(2) Sall. *B. C.* c. 13. Vid. omnino van den Velden, l. l. p. 114. sqq.

EPI-

EPILOGUS.

Itaque quod nos Lacedaemon, quod Athenae docuerunt, Romani quoque populi historiâ luculente probatur. Quodsi jam ea, quae pluribus sumus demonstrare conati, in unum rediguntur, haec inde summa cogitur, tam arcte cohaerere cum legum cultu civium mores, ut ab horum conditione pendeat prorsus in civitate, quae legibus debetur reverentia. Integris enim moribus summam, corruptis vero nullam esse patuit legum auctoritatem. Si vero ipsius justitiae imaginem repraesentant leges, obtemperant justi honestique voci judices, incolumis servatur a civibus legum auctoritas, non possunt non ipsi cives plenâ frui libertate, utpote nulla re impediti, quominus agant, quae agere bonum civem deceat; contra, si aut injustiores sunt leges, aut iniquiores partiumve studio ducti judices, aut denique non summâ coluntur religione in civitate leges, amittitur libertas, comparatur vero licentia, qua major esse civitati pestis plane non potest. Est igitur quod, praeeunte Tullio (1), cum

(1) *Orat. pro Cluentio* c. 53.

cum antiquis dicamus: „Mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente: sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis ac sanguine et membris, uti non potest. Legum ministri magistratus: legum interpretes, judices: LEGUM DENIQUE IDCIRCO OMNES SERVI SUMUS, UT LIBERI ESSE POSSIMUS."

Et ita quidem videar Vobis, Viri Clarissimi! tum ex antiquae Politicae principiis tum ex antiquarum civitatum Historia laudatam Veterum sententiam commode explicuisse. Ne vel omissa supplerem vel deteriora corrigerem, temporis quibus pressus fui angustiae prohibuerunt, quae pariter mihi exstiterunt causa, quod recentiorum scripta parcius fortasse consuluerim. Quam longe autem ceteroquin haec mea disquisitio a perfectione distet, unus omnium maxime intelligo; sed habeo, opinor, quo commoti reum lubenter absolvatis. Quibus enim apud Platonem (1), postquam paucis de eodem politico effato absolvit, utitur Hospes Atheniensis, iisdem ego verbis, quibus simul symbolo utor, causam meam tuendam arbitror:

„Νέος μὲν γὰρ ὢν πᾶς ἄνθρωπος τὰ τοιαῦτα ἀμβλύτατα αὐτὸς αὑτοῦ ὁρᾷ, γέρων δὲ ὀξύτατα."

(1) *de Legg.* Lib. IV. p. 715. E.

ERRATA.

Pag. 7.	*not.*	Fabnlam	*leg.*	Fabulam
— 10.	— 2.	ed. Reisk. p. 134.	—	ed. Reisk. p. 124.
— 11.	— 1.	*προςηκοντος*	—	*προςήκοντος*
— 12.	vs. 24.	*οὐχί*	—	*οὐχὶ*
— 15.	— 10.	*πάντα χρήσιμα ποιεῖν*	—	*πάντων ἄρχουσα πάντα χρήσιμα ποιεῖν*
— 17.	— 21.	*προΐοντες*	—	*προϊόντες*
— —	— 23.	*ἀτιμωτέραν*	—	*ἀτιμοτέραν*
— 18.	— 2.	*τοὐνάντιον*	—	*τοὐναντίον.*
— 19.	— 11.	disputaverim	—	disputavero
— 24.	*not.*	Cieeronianam	—	Ciceronianam
— 27.	vs. 20.	*ἀεὶ*	—	*ἀεί*
— 28.	— 19.	*γνῶναι*	—	*γνῶναί*
— 30.	— 16.	*καθ' ἥν*	—	*καθ' ἣν*
— 32.	— 13.	optimorum	—	optimi
— 33.	— 22.	legem ,	—	legem
— 45.	— 17.	*ἐθελήσειν*	—	*ἐθελήσειν*
— 48.	— 21.	*ἀνθρωπων*	—	*ἀνθρώπων*
— 63.	— 3.	***illiberalitem***	—	***illiberalitatem***
— 64.	— 7.	*μοχθηρότατον*	—	*μοχθηρότατον καὶ μανικώτατον*
— —	— 25.	eam	—	eum
— 81.	— 26.	contemplatio e	—	coutemplatione
— 89.	— 4.	tantum	—	tantam
— 93.	— 29.	*εἶοι*	—	*θεῖοι*
— 95.	— 18.	*ταῦτόν*	—	*ταὐτόν*

Ceteris benevole ignoscat Lector, qui et hoc teneat velim, nonnulla in hac scriptione inesse, quae, nisi certaminis socius consilium iniisset suam quoque Commentationem typis mandandi, cum bona Nobilissimi Ordinis venia vel mutassem vel, pluribus collatis tam veterum quam recentiorum scriptis, accuratius exposuissem. Nunc vero hanc mihi ineundam esse putavi rationem, ut, si pauca eaque perexigua exceperis, talem meam ederem disputationem, qualis ante hos quinque menses dijudicanda Viris Clarissimis tradita fuit, ne alia addens, alia corrigens de socii laudibus quidquam detrahere viderer.